ASCANII COMITII
SPOLETINI
PHILOSOPHI, AC MEDICI
PVPLICE' IN GYMNASIO MES-
SANENSI PHILOSOPHIAM
PROFITENTIS

Præfationes Sex in omnes Ariſtotelis libros
Philoſophiæ Naturalis

Ad Iacobum Lomellinum Epiſcopum
Mazarienſem.

VENETIIS,
Apud Gratioſum Perchacinum, M D LXX.

ILLVSTRI ADMODVM, AC REVERENDIS. DOMINO DON IACOBO LOMELLINO EPISCOPO MAZARIENSI, AC PHILIPPI REGIS Conſiliario.

Aſcanius Comitius. S. D.

NON me fugit pleroſq; quod offertur tantùm ſpectare nihil pręterea inſpicientes , & ſua quidque magnitudine metiri. Ego autem te alia animaduertiſſe ſemper cognoui , vt quibus de cauſis , & à quo homine detur,attenderis . Hinc factum eſt , vt cùm tibi non niſi ſumma & ampliſsima tribuenda ſint , munuſculum hoc tibi dicare auſerim, exiguum fateor, tanti tamẽ velim æſtimes, quanti animus, quo datur, æſtimandus uidetur, non enim id tantùm,ſed tibi me totum debere ſentio,& ſi cum voluntate ingenium poſſem coniungere,vireſque animo reſponderent,multa in te meæ voluntatis & ſtudij argumenta haberes , & omnibus ſignificationem darem amoris erga te mei uerùm cùm id ob infirmitatem efficere nequeam, illud polliceor, meritorum memorem me pręſtiturum.neque enim ſum oblitus quantum multis in rebus,& his quidem difficillimis,mihi obtuleris auxilii. obtrectatorum maximus erat numerus, qui meæ

laudi & glorię aduerſabantur, tu uerò acerrimus de fenſor ita tua ſapientia ac autoritate honorem meū defenderis atque illuſtraueris, ut ne vllam quiden acceſsionē illi potuiſſe fieri crediderim. huius adeo firma apud me erit memoria, ut nulla obliuione aboleri poſsit vnquam. omitto beneficia, quibus & ijs quidem innumeris noſtram ciuitatem deuinxiſti, dum ei pręfueras, illiusq; gubernacula gerebas, in quibus ita te pręſtitiſti, ut in tua prudentia ac ſapiē tia Pontifex Maximus cōquieſceret, & ſenatus uno ore te Ciuitate donauerit maxima teſtificatione diligentiæ uirtutisque tuæ. His de cauſis cùm me totum tibi tradiderim, etiam omne id tibi conſecratum volo, quod ijs, in quibus aſsiduè verſor, ſtudijs comparauerim. hoc itaque opuſculum tuæ dignitati commendatum, tuaq; fultum autoritate, in lucem exeat, & tuis auſpicijs in multorum manus transfundatur, in quo ea diſputaui, quæ in quolibet philoſophiæ naturalis libro Ariſtotelis præmitti ſolent, quę aut ab alijs prętermiſſa ſunt, aut parum doctè excogitata, obſcuriusq; & perplexius quam deceat cōſcripta, ut ipſo labyrintho ſint intricatiora. Nos uerò eo quidem ordine digeſsimus, eaq; claritate perſtrinximus omnia, ut nihil deſit, quod ad hoc ſpectet munus, & quiuis in hac ſcientia mediocriter uerſatus facilè percipiet. ſuſcipe igitur ampliſsime pręſul opus hoc qualecunque ſit mei erga te grati animi monimentum; illudque tua autoritate foueas ac tuearis, & tuam in me uoluntatem conſerua. Vale.

ASCA

ASCANII COMITII PRAEFATIO PRIMA,

IN LIBRVM DE PHYSICO AVDITV.

Autoris inſtitutum proponitur. Cap. I.

*QVANQVAM multa extant apud
Ariſt. interpretes, quæ in controuerſia
ſunt poſita, nulla tamẽ in re eos magis diſ
ſentire perſpexi, quàm in ijs, quę initio cu
iuſq; libri philoſophię naturalis pręmit
ti ſolẽt, quæ tamen cognitu perutilia &
neceſſaria ſunt. iccirco cũ munere docẽdi
publico aliquãtiſper leuatus eſſem, in eis
omnes neruos ętatis induſtrięq́; meæ cõ
tendi, & ea in unũ cõgeßi locũ, & in ſex
præfationes totum opus diſtribui, in quarum prima, quæ ad librũ de
phyſico auditu pertinent, explicaui. Secunda de ijs diſſerit, quę tra-
ctari ſolent in libro de cælo. Tertia diſputat de ijs, quæ operi de gen.
& corr. inſcripto conducũt. Quarta docet, quæ libro Meteo. præferũ
tur. Quinta uniuersè de partibus ſimilarib. agit, atque ſingillatim de
Mineris. Sexta ad librũ de Anima ſpectat. cõſtitui aũt in prima præ
fatione ea, quæ in uolumine de phyſico auditu diſputãtur, quãdoqui-
dẽ illud cæteris oĩb. præponitur, & licet cõplura alia initio huius ope
ris Ariſ. ĩterpretes pręfari cõſueuerint, et Auer. octo enumeret, nos
breuitati indulgẽtes alijs omißis, quatuor explicãda duximus, quorũ
primũ inſtitutũ & libri materiã ſpectat. Alterũ de Diuiſione eſt. Ter
tiũ ad libri inſcriptionem attinet. Poſtremum uerò de utilitate diſſe-
rit. Hæc enim magis ſunt neceſſaria, & ex his reliqua facilè intelli-
gi poſſunt, perſpecta enim intentione ardentius incumbimus, & non
temere uagamur. Diuiſio autem ob oculos totum opus ponit, & uniuſ
cuiuſque partis ſcopum ad eam, quæ præcipua eſt, intentionem di-
rigit. Non parum confert ad explicandam autoris intentionem &*

libri inſcriptio. Vtilitate autem perſpecta promptius incumbimus, illam enim omnes expetimus; ad eamque rapimur, nec aliquis eſt, qui utilia fugiat aut ea nõ ſtudioſe perſequatur. Meritò itaq; hęc ſolùm diſputare decreuimus. à ſubiecto, qđ primo loco fuit propoſitũ, exordiũ faciemus, & ut ordine progrediamur, primũ quid noſtra oratio ſibi uelit, aperiemus. Cũ de ſubiecto futura ſit diſputatio, quotuplex illud ſit intelligi oportet. eſt aũt duplex teſte Auer. unũ totius, alterũ partis: uocatur totius, in quo uniuerſa ſciẽtia uerſatur, ut nec ſciẽtia latius pateat, nec ab ea ſuperetur, uniuerſæque facultati ſit æquale, quo fit ut à latinis adæquatũ nuncupetur, ſiquidem aliquid eius eſſe oportet, quod per ſe in facultate pertractatur, aut. n. ipſum ſubiectũ, aut quæ eius eſſe ponuntur, ueluti principia, partes, & affectiones, quæ ad totius ſubiectum neceſſariò requiruntur. Cum uero uniuerſum ſubiectum ſpecies habere ſit neceſſe, quam ob rem genus ſubie-
1. Poſt cõ. 33. *ctum ab Ariſto. 1. poſt. dici crediderim, eius ſpecies ſubiecta partis uocãtur, de quib. in partib. facultatis diſſeritur. Vtrunq; uero ſubiectũ duas complectitur partes, unã quę eo ꝙ conſiderationi ſubijcitur, res ſubiecta nuncupatur, & à latinis ſubiectũ materiale, altera modus eſt conſiderãdi, quæ ab eiſdẽ dicitur ratio formalis. Nos de ſubiecto locuturi de utroq; diſſeremus, ſimul rẽ ſubiectã & conſiderandi modũ explicantes: prius tamen de eo ſubiecto uerba faciemus, in quo uniuerſa ſcientia de natura uerſatur, de eo poſtea agemus, quod in libro, quẽ præmanib. habemus, pertractatur, reliqua uerò partis ſubiecta in ijs, quæ deinceps dicemus, explicabimus. Sic. n. doctrinæ ordo poſcit, ut communiter quædam de omnib. pręcipiantur, ſeparatim poſtea, quæ cuiuſq; generis ſunt. Verùm cũ multæ et uariæ ſint de re hac ſententię interpretũ, prius quid alij ſentiãt, recẽſebimus, poſt quæ noſtra ſit opinio, imitantes Ariſt. qui raró aut nunquã in rebus ſatis dubijs ſuam profert ſententiam, niſi prius aliorum, ſi quæ fuerint, reiecerit opiniones, ſic. n. firmius ſtabilitur ueritas falſis exploſis ſentẽtijs.*

Diui Thomæ opinio. Cap. 2.

PRIMVM Diui Thomę opinio nobis occurrit, qui in uniuerſa ſcientia de natura Ens mobile ſubiectũ eſſe opinatus eſt. Verùm quia uario modo ab ijs, qui eius profitentur doctrinam, opinio hęc explicatur, quomodo intelligenda ſit paucis perſtringere decreui. id quod moueri dicitur, bifariam intelligi poteſt, uel ut ſubie-

ſubiectũ,uel ut terminus, (ut eorum utar uerbis) ut terminus moueri dicitur forma, quatenus motus terminus eſt, ſiue ſubſtantię ſit forma, ſiue accidentis, ut ſubiectum uerò moueri id intelligi uolo, quod motum & tranſmutationem recipit ac defert, & id duplex eſt, ſi communiter motus nomẽ ſumatur pro mutatione & motu propriè dicto, aut enim eſt id, quod generationi ſubſtantię ſubijcitur, ueluti eſt prima materia, aut quod motui, ut corpus, quod alijs motib. cieri poteſt. fautores igitur huius opinionis teſtantur hanc fuiſſe Diui Thomę mentem, ut per ens mobile id intelligamus, quod utrouis modo moueri cõtingat. Addunt pręterea mobile dupliciter accipi, aut ut aptitudinẽ ad motũ denotãt, aut ut aptitudinis radicẽ ſignificat, ſicuti riſibile, quod aliquando pro aptitudine ad ridẽdum, interdũ pro riſibilitatis principio ſumitur, dicunt ſecundo modo intelligi mobile. Quare iuxta hos Ens mobile ut ſubiectiue & terminatiue capitur & ut mobilitatis, principium claudit. ſubiectum eſt. licet nos ſatis acriter contra allatam ab his opinionem, cùm maximè recedat à ſententia Ariſto. poſſemus argumentari, tamen quia noſtra ſemper fuit conſuetudo non niſi aduerſus grauiſsimos uiros inuehi, quorum autoritate quiſque confiſus facilè decipi poſſet. iccirco omiſſa reprehenſione, quam in eos poſſem afferre, ſolùm aperiemus eam nõ fuiſſe Diui Thomę opinionem, quam ipſi putarunt. Tunc enim apud Diuum Thom. principia & paſsiones non eſſent ſeiuncta à ſubiecto quippe mobile terminatiue & ſubiectiuè principia & paſsiones comprehendit, patuit enim in eo contineri formam & materiam, quę in hac ſcientia ſunt principia, ſimul etiam quantitatem, qualitatem, & ubi, quę ſunt affectiones, Diuus Thom. tamen ſeparatim & diuerſa principia & paſsiones à ſubiecto conſtituit, cùm dixerit naturalem philoſophiam eſſe de naturalibus, quorum principium eſt natura, quare naturalium & entis mobilis principia materiam & formam eſſe cenſuit, & paulo infra adiecit Ariſt. hic tractare de omnibus ijs, quę in communi ens mobile conſequuntur, ut principia communia & accidentia. Nec non decipiuntur in Diui Thom. doctrina dũ mobile rei principium ſignificare dixerunt, ſiquidem ipſe corpus mobile eſſe ſubiectum negauit, quoniam in 6. phyſ. probatur, ergo mobile illud hic accipit, quod in 6. de corpore fuit oſtẽſum, alioquin eius ratio nullum haberet momentũ. omitto id, ꝙ impropria fuiſſet locutio,

tio,cũ accidẽs pro ſubſtãtia poſuiſſet. Derelictis igitur his, qui Diui Tho.mentẽ non perceperunt,hanc eius opinionẽ fuiſſe fatemur, ut alij recte ſenſerũt,ut entis nomine ſubiectũ motus intelligamus, ſit uerò mobile pro ratione formali, quod etſi accidẽtis ſapiat naturã, cùm ratio formalis ſit ignota, loco eius nihil prohibet capi. Hæc opinio ab ijs,qui huius uiri ſequuntur dogmata, rationibus & autoritatibus fulcitur. Eſt prima ratio,ꝙ idẽ ſit ſubiectũ ſcientiæ & paſſionis,ſed ens eſt ſubiectum motus, qui eſt prima paſſio philoſophiæ naturalis,ergo illud idẽ ſciẽtiæ erit ſubiectũ, maior perſpicua eſt ex ſecũdis analiticis,ubi facultatem monſtrare de ſubiecto affectiones dictum eſt,minor motus definitione conſtat. Secundo,ſubiectum ſciẽtiæ naturalis ex his unum affirmari operæpretiũ eſt,aut corpus mobile aut ens mobile,quandoquidem unius horũ motus eſt prima affectio, uerùm primum fateri non poſſumus,nanq; ſubiectũ in ſcientia debet eſſe notiſſimum,ut nihil eo ſit notius,monſtrationeq; nõ egeat ſexto autẽ libro phyſ.oſtenditur corpus mobile eſſe,ex eo ꝙ nullum indiuiſibile poteſt moueri, quod.n.mouetur partim eſt in termino à quo,partim in termino ad quẽ,& id eſt diuiſibile,quod non eſt aliud niſi corpus. ſupereſt igitur ut ens mobile ſit huius operis materia & ſcopus. Eſt tertia ratio,id ſubiectum conſtitui oportet,cuius facultas principia uenatur,hic uerò entis mobilis principia inquiruntur,ut Diuus Tho. 1.phy.tex.6.aſſeruit, Adijcitur etiam ꝙ omnia, de quib.hic agitur,ad ens mobile referũtur,& proinde Ariſto.tex. 11.dixerat nobis ſupponantur ea quæ ſunt natura aut omnia aut quædam moueri,& non dixit corpora. Aſtruuntque hanc eandem

6.Met.tex. 1. *ſententiam Ariſt.teſtimonio,qui 6.Metaph.quærẽs circa quæ philoſophus naturalis uerſetur ait circa tale ens,quod in ſe habet principiũ motus & quietis. pro re igitur,quam materialem uocant, erit*

11.Met.tex. ſum.2.cap. 2. *eus, huius ſimile protulit 11.eiuſdem cum dixit naturalem accidẽtia & principia entium prout mouentur ſpeculari,perinde ac ſi ens mobile dixiſſet. In eandem opinionem uiſus eſt iuiſſe Auer. 4. &*

4 Meta.cõ. 1.12.cõ.5. *12.eiuſdem. cum dixerit de ente mobili ſermonem facere philoſophum naturalem. His & ſimilibus argumentis moliti ſunt Diui Thom.opinionem, qui eius profitentur doctrinam,deſinentes ſuum iudicium adhibere,ſolùmque id ratum habentes,quod ab alijs probatum fuerit.*

Diui

Diui Thomę opinio refellitur. Cap. 3.

HAEC verò opinio doctrinam non ſapit peripateticam, à menteque Ariſt. remota eſt, idq́; palàm omnibus faciam etiam ijs, qui certis quibuſdam alieniſque ſemper ſententijs quaſi addicti & conſecrati ſunt: & vt rem exordiar, prius vnum intelligi volo, quòd quando ſubiectum habere principia & affectiones dicimus, id de ea parte ſubiecti ſit intelligendum, quam materialem Latini nuncupant, nam cùm ſubiectum duas claudat partes, vt paulò ſupra monuimus, rei conſideratæ ſunt illa tria, & non modi conſiderandi, ſub quo vt ſub vno communi ea tractari neceſſe eſt. conſtat igitur non rectè ens pro re conſiderata fuiſſe acceptum, vt contra priorem partem argumentemur, mox contra poſteriorem: tunc enim ſcientia naturalis entis principia, partes & affectiones inquireret, quod Ariſto. non conſentit, qui 4. Metaphy. id muneris primo philoſopho adſcripſerit. 4. Metaph. tex. prim. *Præterea principia & affectiones cũ ſubiecto non oportet coincidere, id autem in eorum opinione contingit, namq; patet ex Diui Thom. doctrina entis nomen omnibus competere, nihilq́; eſſe quod illud ſubterfugiat. Quare vno nomine & eo quidem ſubiecti omnia erunt complexa, quod abſonum eſt, quandoquidem mutuò ſeiunguntur. Deinde opinio hæc ita ens mobile ſtabiliuit ſubiectum, vt corpus mobile prorſus abſtulerit, iccirco ſi inuicem ea diſtinguuntur, quærendum eſt, an ens mobile corpore mobili eſt minus vniuerſale aut æque aut magis: ſi minus commune, omnia, quæ in hac facultate pertractantur, ſub ſubiecto non cõtinerentur, ſiquidem corpora excluderẽtur: ſi verò fuerit æque vniuerſale, non rectè corpus mobile pro ſubiecto aufertur: ſi autem magis, in multis ens mobile inueniretur, in quibus corpus nullo prorſus modo ineſſet. Pręterea ſi pro modo conſiderandi mobilitatem accipi volumus, potius corpus pro re conſiderata eſt aſſumendum, quàm ens, vt eorum armis argumentemur. Idem eſt ſcientiæ ſubiectum & affectionis; primum autem ſubiectum, cui primò motum ineſſe neceſſe eſt, corpus fateri oportet, ſiquidem de eo 6. phyſic. fuit monſtratus motus, nec de alio niſi de primo ſubiecto monſtrantur paſſiones. id confirmatur, nam entis nomen ex eorum ſententia etiam Deo communicatur, in quo motum reperiri nemo aſſereret: Quare proprium motus,*

vt decebat, ſubiectum non fuit poſitum. Nec ad hanc rationem nonnullorum ſolutio me fugit aſſerentium ens fuiſſe coarctatum mobilitate, propriumq; fuiſſe factum ſcientiæ naturalis ſubiectum, qui magnopere decipiuntur, nec rei difficultatem percipiunt, non enim paſſionis ſubiectum ipſa paſſione fit proprium, ſed cùm fuerit coarctatum ei accommodatur, ſiquidem ſemper in proprio inuenitur ſubiecto. Ad hæc conſiderandi modus ac ipſum ſubiectum ſimile eſt definitioni, in qua ſicuti genus, quod proximum eſt, ſuſcipitur, conſimili ratione illud idem in ſubiecto ſeruandum eſt. res enim conſiderata generi in definitione reſpondet, nec licet id, quod ſupremum eſt genus, multis coercere differentijs. Nec altera pars, quam pro modo conſiderandi ſumpſerunt, vera eſt, vt vndique opinionis falſitas pa-
6.Mataph. tex.2. *teat. modus enim conſiderandi modo definiendi eſt ſimilis, vt 6. meta phy. patet, veluti autem in definitione nullum accipitur accidens, ita & in ſubiecto, mobilitas autem eſt accidens, cùm aptitudo ſit ad mo-*
2.Phyſ. tex.5. *tum, quam accidens eſſe teſtatus eſt Ariſto. 2. phyſic. cum dixit ferri ſurſum igni accidit. nec eorum, qui huic fauent opinioni, ſolutio habet aliquod momentum, quòd loco rationis formalis, quæ ignota eſt, poſita ſit, veluti in definitionibus nonnunquam loco differentiarum propria accipimus accidentia. id in ſubiecto fieri non contingit, ſiquidem in facultate, vt etiam ipſi dicunt, ſubiectum eſt notiſſimum, quod magis partis formalis cauſa, cùm altera pars materiæ reſpondeat, quæ ambigua eſt, accidere putandum eſt. Præterea Diuus Thomas in 6. phyſi. ab Ariſt. corpus mobile oſtendi arbitratus eſt, quare ſi mobilitas in corpore eſt ignota, magis id verũ erit in ente, quod magis occultum & ambiguum eſt. Si igitur de corpore oſtenditur ſiue monſtrari poteſt, non eſt ergo paſſio perſpicua. Additur etiam quòd cum ens mobile re à corpore mobili non ſit ſeiunctum, quod de vno oſtendi dicitur, de altero fuiſſe monſtratum intelligendum eſt. Improbatur etiam hæc opinio, quoniam diminuta eſt, quandoquidem partem ſubiecti potiorem omiſerit, nempe formalem, qua ſciẽtia hæc erat ab alijs ſecernenda, ſiquidem & complures aliæ facultates de rebus differunt mobilibus, vt ars lignaria, & Metaphyſica diuerſo diſputandi genere, quod in hac opinione fuit omiſſum. Relinquo illud in Diuo Thoma, quòd ſibi parum conſtiterit, quoniam in primo cæli corpus mobile ſubiectũ eſſe affirmauerit, quod hic inficias iuit.*

Ratio-

Rationum opinionis ſolutio. Cap. 4.

*NVNC diluendæ ſunt rationes, quas prius pro hac opinio
ne retulimus, aperiendumq́; eſt nullam efficaciam eius ar
gumenta habere. non enim ſatis eſt pro veritate ſtabilien
da aliorum improbaſſe ſententiam, ſed & rationes, quæ pro ea alla-
tæ ſunt, euertere operæpretium eſt. Dicimus igitur ad id, quod pri-
mo loco fuit poſitum, ꝙ per ens, quod fuit acceptum in motus defini
tione, Ariſt. intellexit id, quod naturale eſt, & proprio nomine vo-
catum corpus naturale, cuius motus eſt actus. Verùm dubia eſt hęc
ſolutio, nam motus definitio in tertio phyſ. tradita non ſolùm motui,
qui eſt ad accidens, competit, ſed etiam generationi ſubſtantiæ, cu-
ius ſubiectum corpus non eſt, ſed magis ens in potentia & materia
prima, namque Ariſt. 5. phyſ. dixit, quod generatur non eſt: idem eſt* 5. Phyſ.
etiam ſubiectum motus, formę & termini ad quem, quandoquidem tex. 7.
motus non differt teſte Auer. 3. phyſ. a perfectione ad quam vadit 3. Phyſ.
niſi ſecundum magis & minus, ſi igitur generationis ſubiectum eſt com. 4.
*prima materia, difficile intellectu eſt, quomodo nomine entis, quod
in motus definitione fuit acceptum, pro corpore naturali intelligi
queat, ſubſtantiæ enim generatio non fuiſſet comprehenſa, quod ab-
ſurdum eſt, cùm illa definitio cuiuſque motus ſit communis. Reſpon-
demus ad hanc difficultatem, quod licet prima materia ſit primum
generationis ſubiectum, & quod uerè ei ſubijcitur, nunquam ta-
men ab omni forma abiuncta inuenitur, nec forma, quæ in ea eſt
recipiènda, prius ab agente procreatur, quàm diſpoſitiones, quæ pro
eius productione requiruntur, fuerint acquiſitæ, ſed eſt neceſſe vt
prius materia præparetur, multaq́; in ea fiant præparamenta, qui-
bus craßitiem & corporeitatem adipiſcitur. Adijcitur etiam quòd
nunquam eſt ſpoliata trina dimenſione, ut rectè ſentit Auer. qua
dici poteſt corpus. Quodammodo igitur & generationis ſubiectum
vocatur corpus, actumq́; corporis naturalis generationem eſſe fate
mur. malo. n. ſic ſentire, quàm ſinere labefactari veritatã, & Ariſt.
ſententiam. Si enim ens communiter intelligeremus, vt opinio puta-
bat, non ſolùm materiæ motum eſſe actum affirmare cogeremur. ſed
& formæ & intelligentiarum, quæ nomine entis iuxta horum opi-
nionem complectuntur. Nec erat rationi conſonum ea comprehen-*

di in definitione motus, quæ primi erant philoſophi, veluti ens, nec cum ijs eſt ſentiendum, qui philoſophum naturalem eam definitionẽ à diuino mutuari opinati ſunt, id enim adeò eſt abſurdum, ut nihil eo ſit abſurdius, cùm in initio illius tertij Ariſt. pollicitus fuerit ſe de motu locuturum, quoniam poſitus eſt in naturæ definitione, quare vt eſt res naturalis: & tex. 2. aliam tradens cauſam ait, quia eſt accidens rerum naturalium. Ob res igitur naturales fit de motu ſermo, & vt ad philoſophũ attinet naturalem, abhorrebat. n. a ratione eã motus definitionem accipi, quæ naturalis non eſſet, ſed ad alterum ſpectaret artificem. uerè feciſſet illud dictum poetæ, humano capiti ceruicem iungere equinam. Ad ſecundum licet nos non cogamur reſpondere, non enim cum ijs ſentimus, qui corpus mobile ſubiectum arbitrati ſunt, præter enim vtrunque unum datur, cuius primò motus eſt paßio, de quo inferius nos loquemur: tamen vt magis huius opinionis error conſtet, & unicuique innoteſcat nulli rationi fuiſſe innixam, ſoluemus & hanc rationem. dicimus verum non eſſe Ariſt. ibi probaſſe corpus mobile eſſe, ſed id, omne quod mouetur, eſſe corpus, nec eſt idem monſtrare omne mobile eße corpus & corpus mobile eße. perſpectum eſt corpus moueri, quandoquidem motum eſſe conſtat, eum enim ſenſu cognoſcimus, non poteſt autẽ percipi, niſi ſimul ſubiectum comprehendatur, in quo fit: an uero omne quod mouetur ſit corpus ambiguum eſt, apud eos præſertim, qui angelos & formas immateriales cieri opinati ſunt. Quare potius indiuiſibilibus & à materia abiunctis monſtratur motus non ineſſe quàm corpori inexiſtere. Ad alterum dicimus ꝙ uerum nõ eſt principia entis mobilis primò inquiri, vt paulo infra oſtendemus, nec ad ipſum primùm omnia referuntur, nec magni faciendum eſt, ſi Ariſto. ea, quæ ſunt natura aut omnia aut quædam moueri dixerit, ſiquidem corpora intelligit naturalia, quibus motum ineße patet. Quod ex Ariſt. affertur, facilè tollitur, quòd tunc in Metaphyſica fiebat ſermo, in qua de ente diſſeritur, ut ens eſt, in quo & aliæ ſcientiæ cum ea uidentur conuenire, quæ partem entis contemplantur, nõ tamen vt ens eſt, ſed vt tale ens, quod in propria facultate proprio nũcupatur nomine, in prima uerò philoſophia hęc pars entis nõ fuit nominata niſi cõi nomine, in propria autẽ facultate nõ generis nõie veluti in ſcientia vniuerſali, ſed proprio eſt nuncupanda nomine,

quod

quod factum non fuit à Diuo Thom. qui parti nomẽ totius aſcripſit. præterea nec Ariſt. ibi ens mobile dixit, ſed talem ſubſtantiam, in qua eſt principium motus & quietis. Pro ijs, quę ex Auer. adducta ſunt, dicimus ꝙ duplici differentia res à re ſeiungi poteſt, aut eſſentiali aut accidentali, ſiue per prius & per poſterius, ut homo ab equo ſecernitur & rationali & riſibili. Auer. igitur illis in locis & extra proprium ſermonem à poſteriori & ab accidente ſumpſit differentiam, verùm nos eam inquirimus, quæ à rei natura prouenit, ex qua conſiderandi modum accipi oportet. & de hac opinione ſatis dictum arbitror.

Alberti cognomento magni opinio, eiuſq; improbatio. Cap. 5.

ALBERTVS cognomento Magnus, & Egidius aliam ſecuti ſunt opinionem, qui in ſcientia, quæ eſt de natura, materiam eſſe confeſſi ſunt corpus mobile, verùm ait Albertus, corpus illud intelligi oportet, quod motui ſubijcitur, quãdoquidem corpus & ſimpliciter & vt tale eſt conſiderari poteſt: dicitur ſimpliciter, quod ſua natura trinæ dimenſioni ſubijci poteſt, ab omniq; corpore ſingulari ſeparatur, quod & ad ens poteſt reduci, & Metaphyſicum nuncupatur, de quo primus philoſophus differit. Vel dicitur corpus ab actuali dimenſione, terminoq; quantitatis definitum, quod Mathematicum uocatur. Vel eſt corpus à forma perficiente conſtitutum qualitatiſq; terminis terminatum, quod naturale dicitur. Quare talem uidetur innuere diuiſionem corporis, vt vnum perinde vt genus ſit, tria verò ſingula ex ſcientiarum numero, ut autem mobilitate coercetur, philoſophi naturalis ſit proprium ſubiectum. Hanc opinionem pro virili parte Egidius tuetur, eamq; nonnullis rationibus molitur, quarum prima eſt: corpus mobile aut ens mobile pro ſubiecto ſtabiliri neceſſe eſt, vt alterum affirmari non poßit, uerùm cùm ſecundum non ſit concedendum, remanet, ꝙ corpus mobile ſit ſubiectum. oſtenditur ens mobile ſubiectum eſſe nõ poſſe, tunc enim ſcientia naturalis primæ philoſophiæ eſſet ſubalternata, quod abſonum eſt, ſiquidem tres ſunt ſciẽtię inter ſe genere diſtinctę, vt patet 6. Metaph. id quod conſequitur conditioni-

ditionibus quibus ſit ſubalternatio, monſtrari poteſt, accidit enim fieri ſubalternationem, quando ſcientia, quæ ſubijcitur, à ſuperiori ſumit ſubiectum, cui addit aduentitiam & accidentalem differentiam, quę ex ſubiecti principijs non fluat, vt geometriæ ſubiecto perſpectiua, quæ illi ſubijcitur, addit viſualem differentiam. Conſimili ratione naturalis enti, de quo primus philoſophus diſſerit, adijcit mobilitatem, quę aduentitia eſt, quare naturalis ſcientia erit ſubalternata ſubiectaq; primę philoſophiæ. Præterea ſi id non admitteretur, ſaltem alterum eſſet affirmandum, naturalem philoſophiam partem eſſe Metaphiſicę: quod intulimus, monſtratur, nam Ariſto.

4.Metaph. tex.2. *4. Metaph. aſſeruit eiuſdem eſſe facultatis genus & generis ſpecies conſiderare, ens mobile uniuerſi entis eſt ſpecies, quare à primo philoſopho tractabitur, cùm uerò de eo naturalis ſcientia loquatur, Metaphiſicæ pars erit.*

Hęc autem opinio licet priori ſit rectior, ſi eam attẽderimus partem (quam materialem uocant) uera tamen non eſt alterius partis ratione, nec prorſus uera ſunt, quæ pro parte materiali allata ſunt; ſolùm enim imaginatione dandum erit corpus illud, quod Albertus aſſeruit dici ab aptitudine trium dimenſionum, nec re ullam habebit exiſtentiam, & de hoc nulla eſt habenda conſideratio. Præterea eſt falſum dari tria genera corporum, in quibus, quod Metaphiſicum uocat, numeretur, diſtinctumq; ſit ab alijs duobus, quandoquidem pręter Mathematicum & naturale aliud non ponitur corpus teſte Auer. 3 metaph. aut enim tres duntaxat habet dimenſiones, aut cum his qualitates ſenſibiles coniungit formamq; ſubſtantiæ, nec aliud excogitari licet corpus, nec quod Metaphyſicum fuit nuncupatum à naturali eſt ſeiungendum. Receſſit etiam à ueritate hæc opinio, ſi mobilitatem animaduertere uolumus, quam pro cõſiderandi modo accepit. nam de eo, quod per accidens eſt aggregatum, ſcientia non habetur, eſt autem per accidens aggregatum corpus mobile. Deinde cùm de ſubiecto accidens monſtretur, tunc monſtratio erit accidentis de accidente, & unum de ſeipſo oſtendetur, & mobilitas de mobilitate, quod fieri non poteſt. Præterea modus conſiderandi definitioni ſimilis eſt, ut patet 6. metaph. quare mobile quod diximus modum eſſe conſiderandi, erit ſumptum à modo definiendi, quod falſum eſt, cùm accidens ſit, à quo nulla ſumitur definitio,

3.Metaph. com.17.

tio, id etiam ſequeretur, quod omnia ſub ratione mobilitatis conſiderarentur in ſcientia naturali: quod infertur, oſtenditur, quæ enim facultas contemplatur, vno tractandi genere diſſeruntur, cùm autem mobilitas ſit modus, quo conſiderari debent omnia in philoſophia naturali, de omnibus ſub ea ratione diſputabitur, quod falſum eſt; nãq; dum res naturales quo ad propriam earum eſſentiã tractãtur mobilitatis rationem non ſuſcipiunt. Additur etiam quòd ratio formalis nota & perſpicua debet eſſe, nec talis ſit, quæ poſſit monſtrari; motus autem, cùm ſit paßio, per id, quod uerè eſt ratio formalis, oſtendi poteſt, contingit enim eius propter quid ignorari, licet eum cõſiſtere unicuique ſit perſpectum, per id enim quod habet in ſeipſo principium motus de corpore monſtratur. Non rectè igitur mobile pro ratione (quam dicunt formalem) fuit acceptum. Deficit etiam huic ſubiecto conſiderandi modus, ut contra priorem diximus opinionem. Quare decepti ſunt, dum modum conſiderandi tradidiſſe putauerint, quo ſubiectum huius facultatis ab alijs erat diſtinguendum.

Diluuntur rationes. Cap. 6.

QVAMVIS nos, qui alia progredimur via, non cogamur ad huius opinionis rationes reſpondere, quæ magis eorum deſtruunt ſententiam, qui ens mobile ſubiectum eſſe aſſeuerarunt, à quibus, ut paulo infra conſtabit, plurimum diſſentimus: tamen ne patiamur, vt philoſophum decet, eis iniuſtè aliquid detrahi, exiſtimauimus quantum momenti habeant eæ rationes, aperire. Quoniam autem hæc opinio id ſumit nempe philoſophiam naturalem Metaphiſicæ non ſubalternari, quod à ueritate et à ſententia Ariſt. recedit, id primùm euertemus unum accipientes ex primo poſt. cui omnes philoſophi peripatetici ſubſcribunt, de quo vna agit facultas, in altera tractari nõ poteſt, & vt dici ſolet, non licet tranſcendere de genere in genus, niſi contingat unam ſub altera eſſe, in ijs igitur tantùm facultatibus datur hic tranſgreſſus, quarum una alteri ſubijcitur. Ex hoc fateri cogimur naturalem philoſophiam Metaphiſicæ ſubalternari, cùm in eis hic demonſtrationis tranſitus inueniatur, ſit autem hic, quando teſte Auer. 1. poſt. dua

1. Poſt. tex. 60.

1. Poſt cõ. 71.

duæ artes eadem utuntur propoſitione maiori, quod in naturali ſcientia accidit, quę eadẽ propoſitione utitur, qua Metaphyſicus, ut uidere eſt in fine primi de cęlo, ubi oſtenditur non poſſe fieri æternum, quod corruptibile eſt, & ratio talis eſt: Non poteſt idem ſimul eſſe & non eſſe, ergo nullum corruptibile eſt perpetuum, ſiquidem corruptibile eſt, quod poteſt non eſſe, quo in actu poſito non ſequitur id, quod fieri non poteſt, quare poteſt poni non eſſe, & cùm dictum ſit eſſe æternum, quod ſemper eſt, idem erit & non erit: maior propoſitio primi philoſophi eſt, ut patet 4. metaph. quam cùm ſuſcipiat naturalis, dicendum eſt fieri tranſitum ex una in alteram, quare ſcientia naturalis erit ſubiecta Metaphyſicæ: non enim fieri poteſt, ut artes penitus diſtinctę poſſint con-
1.Poſt. cõ. 69. *uenire in medio, ut rectè dixit Auer. 1. poſt. tunc enim in utraque ſubiectum & quæſitum eſſet idem, quandoquidem dixit Ariſt.* 1.Poſt.tex. 59 *extrema & media ex eodem accipi genere. Præterea eodem loco dixit quòd ſi demonſtratio debet tranſcendere, operæpretium eſt aut ſimpliciter aut aliquo modo idem eſſe genus, cuius hæc ſunt uerba.* Arithmetica demõſtratio ſemper habet genus, circa quod demonſtratio, & aliæ conſimiliter, quare aut ſimpliciter neceſſe eſt idem eſſe genus, aut aliquo modo, ſi debet demonſtratio tranſcendere, aliter uerò quod impoſsibile, manifeſtum. *Cùm autem eandem propoſitionem primus philoſophus uſurpauerit, qua naturalis uſus eſt, neceſſarium erit confiteri aut eas facultates eaſdem eſſe, nulloq; diſcrimine differentes, quod abſurdum eſt, aut aliquo modo hoc eſt, ut una ſub altera ſit, idem eſt autem ſubiectum in utraque aliquo modo, & id tantum diſcriminis ineſt, quòd in Metaphyſica abſolutè illud conſideretur, in naturali uerò cum adiectione, quod pro ſubalternatione ſatis eſſe dixit Auer. 1. poſt. ut ſci-*
1.Poſt. cõ. 69. *licet in una ſecundum defectum tractetur, in altera uero ſecundum additionem, quod in his duabus facultatibus accidit, ſiquidem Metaphyſica abſolutè & ſecundum defectum differit de ente, de quo cũ additione naturalis. Quare fieri non potuit, quin una alteri ſubijceretur, alioquin in ijs fuiſſet factus tranſitus, in quibus non liceret. Deinde nõnunquã fit trãſlatio, quãdo una ars eo utitur, quod in al-*
1.Poſt cõ. 72. *tera fuit oſtenſum, ſiue id ſit ſubiectum, ſiue in arte ſuperiori ſit concluſio, & in inferiori præmiſſa, ut eodem libro teſtatus eſt Auer.*

his

his etiam modis naturalem contingit primæ philoſophiæ ſubijci, etenim diuinus philoſophus eſt, ad quem rerum omnium conſiſtentiã monſtrare attinet, ſubiectaq́; artium oſtendere vt entia ſunt teſte Auer. cuius uerba hęc ſunt. Primus philoſophus manifeſtat & tradit modum, quo numerus eſt ens, hoc eſt modum, quo hoc ſubiectum eſt extra animam, non modum quo eſt huius artis ſubiectum, & ex quo genus ſubiectorum artium eſt ipſum ens, euidens eſt, ꝙ qui largitur illorum cauſas ſolùm inquantũ ſunt entia, ſit ille qui conſiderat ens ſimpliciter, qui eſt primus philoſophus. *ſi igitur ſcientiæ naturalis ſubiectum in prima monſtratur philoſophia, quis poterit inficiari ſic ſe habere has facultates, vt vna alteri ſubijciatur? aliter daretur tranſitus ex arte in artẽ, qui non eſt admittendus: iuxta etiam alterum modum naturalis Metaphyſicę ſubijcitur, ob id ſcilicet quia cognitionis principia ſciẽtię naturalis à primo philoſopho mõſtrantur, quãdoquidẽ dixit Auer. fieri quoq; ſubalternationem, cùm a ſuperiori ſcientia principia cauſæ & cognitionis inferioris fuerint oſtenſa, idq́; inter Metaphyſicã & ſcientias particulares inueniri fatetur, quod etiam ita oſtendi poteſt. Ariſt. primo phy. aduerſus Parmenidem & Meliſſum motum & entium multitudinem auferentes, quæ in naturali philoſophia cognitionis ſunt principia, cùm decreuiſſet diſputare, dixit eam diſputationem non ſpectare ad philoſophum naturalem, quippè nullus eſt artifex, qui ſuæ artis principia probet, et pollicitus eſt eam aggredi prouinciam primi philoſophi habitu. uerba autem ſunt hæc.* itaque ſi unum atque immobile ſit id quod eſt, conſiderare, non eſt de natura ſpeculari, ut enim & geometræ non amplius eſt ratio ad eum qui deſtruit principia, ſed aut alterius eſt ſcientiæ, aut omnium communis. *intelligit autem per alteram ſcientiam diuinam, per omnium uero communem Dialecticam, quæ uniuerſalior eſt Metaphyſia, ſiquidem probabiliter de uniuerſo ente & de ſingulis eius ſpeciebus diſputat, quod primo philoſopho non conſentit; quare patet Metaphyſicum principia cognitionis ſcientiæ naturalis monſtrare, ueluti unicuiq; perſpectum eſt fuiſſe factum ab Ariſto. qui eo libro rerum multitudinem ſic nititur oſtẽdere. Si omnia ſunt vnum, aut erunt ſubſtantia, aut accidens, ſi ſecundum dabimus, ergo non unum, ſed multa ſunt entia, quia accidentis eſt ineſſe, & ſine*

Margin notes: 1. Poſt cõ. 20. — 1. Poſt cõ. 60. — 1. Phyſ. tex. 8.

C *ſubiecto*

ſubiecto, quod eſt ſubſtantia, non poteſt conſiſtere. a priori igitur ex natura & definitione accidentis, quod ad primum attinet philoſophum, mõſtrat plura eſſe entia. Si uero erit primum, aut genere, aut ſpecie, aut numero, uerùm non genere, quia de pluribus, quæ ſpecie differunt, prædicatur. neq; ſpecie, quoniam de ijs, quę plura ſunt numero, prædicatur. id ſimiliter oſtenſum eſt a priori ex ratione generis, & ſpeciei. Neq; numero, quippe contradictio ſimul de eodem erit uera, quia idem eſſet calefieri & non calefieri. Si igitur a priori veluti neceſſe erat pro ipſa ſubalternatione, vt putauit Auer.

1. Poſt cõ. 60. *primus philoſophus oſtendit principia cognitionis ſcientiæ de natura à definitioue nempe ad definitum aut ex primcipio contradictionis, quod vt dixit Ariſto. eſt omnium certiſſimum, uerè philoſophia*

4. Metaph. tex 9. *naturalis erit ſubiecta Metaphyſicæ. Præterea cùm prima philoſophia cæteris facultatibus præſtantior ſit, cauſaq; ſit, cur reliquæ ſint ſcientiæ, ob illud principium notiſſimum, quod eſt omnium principium, erit neceſſe ut ſibi ſubalternet cęteras ſcientias. Quod idem*

1. Poſt tex. 70. *Ariſt. teſtimonio confirmari poteſt, qui 1. poſt. cùm oſtendiſſet contra Bryſſonem non fieri demonſtrationem ex ijs, quæ pluribus ſunt communia, ſed ex proprijs cuiuſq; principijs, eſſetq; ambiguum an propria alicuius artis principia poſſent probari, ait ꝙ habent ſcientiam communem, in qua demonſtrentur, licet in ſcientia particulari, in qua ſunt principia, oſtendi nequeant, quia illa, ex quibus demonſtrarentur, eſſent prima principia, quare per ea oſtendi debent, quæ ſunt omnium primæq; philoſophiæ principia, quæ domina & maximè ſcientia omnium eſt, nam ſi quis ex proprijs cognoſcit principijs, ſcit, ergo qui ex prioribus, magis ſcit, qui vero ex maximè & ſimpliciter prioribus, maximè ſcit; ueluti enim ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis, & maximè ad maximè, at Metaphyſicæ principia maximè priora ſunt, ergo eſt maximè ſcientia, & omnium domina. His uerbis vnicuique eſt perſpicuum, qui ſanæ fuerit mentis, Ariſto. huius fuiſſe opinionis, primam philoſophiam ſibi ſubalternare reliquas ſcientias, huic ſubſcribunt omnes philoſophi peripatetici*

1. Phyſ. cõ. 8. *Eudemus & Alex. referente Simpl. quam etiam opinionem ipſe inſecutus eſt. Quantum itaq; decepti fuerint, quantumq; a ueritate & à ſententia Ariſto. receſſerint, qui Metaphyſicæ ad ſcientiã naturalem ſubalternationem abſtulerunt, aliorum modò ſit iudiciũ.*

Nunc

Nunc aperiendum eſt eas conditiones, quas latini pro ſubalternatione imaginati ſunt, ueras non eſſe; ſoluentur deinceps Egidij rationes. iuxta cōpluriū opinionē tres neceſſariò requirūtur cōditiones, quarū prima eſt, ut ſubiectū inferioris ſub eo contineatur, quod eſt ſuperioris. Altera eſt, vt inferioris ſubiecto adijciatur differētia accidentalis, vt patet in Muſica, quæ Arithmeticæ ſubijcitur, à qua numerum accipiens ſonorū differentiam aduentitiā coniungit. Tertia eſt conditio, vt inferior eſſe principiorum accipiat, quorum propter quid à ſuperiori nanciſcatur. Verùm hos decipi in his conditionibus ſic conſtat. primùm quia duæ priores non neceſſariò requirūtur, ut ſine illis ſubalternatio poſſit conſiſtere, ueluti in Aſtrologia id poſſumus experiri, cuius ſubiectum eſt cęleſte corpus, nam licet geometriæ ſubiecta ſit, ei tamen illę duæ conditiones deficiunt, quinimo ſi ſecundam attenderimus, falſam eam eſſe duxerimus, non enim de eo poſſet haberi doctrina, eſſet enim aggregatum per accidens. Præterea inquit Linc. 1. poſt. ꝙ ſubiectum ſcientiæ ſubalternantis non ſemper directe eſt prædicabile de ſubiecto ſubalternatæ. Nec ſimiliter tertia poſita conditio neceſſariò requiritur, vt ſcilicet principia inferioris ſcientiæ demonſtratione cauſæ probentur in ſuperiori, poteſt enim contingere, vt utriuſq; eadem ſint principia, vt in Aſtrologia & Perſpectiua euenit, ſi cum geometria, cui ſubiectæ ſunt, conferantur, nam lineæ, ſuperficiei & circuli definitiones in geometria principia ſunt, ſimiliter etiam in illis, quæ tamē in ſuperiori non demonſtrantur. Nos igitur ab ijs diſſentientes alia pro ſubalternatione requiri arbitramur, cum enim in ijs tantū ſcientijs, quarum una alteri eſt ſubalternata, liceat fieri tranſitum, idemque conſiderari, quot modis contingit fieri tranſitum unius rei ex vna arte in alteram, totidem fieri ſubalternationem accidit, vt ex Ariſto. in analiticis poſterioribus elici poteſt. fit uero demonſtrationis tranſitus in diuerſis ſcientijs trifariam, vno modo quando altior propter quid eius dixerit, cuius in humiliori habetur quia, in qua deinde ſit cognitionis principium, fit autem eo tempore trāſgreſſus, quoniam eadem propoſitio in duas ingreditur artes, licet in vna ſit concluſio, in altera uerò maior propoſitio. Quare conſimili ratione fiet ſubalternatio, quando inferioris & ſubalternatæ principia demonſtratione cauſæ fuerint oſtenſa in ſuperiori, ut eorum una di-

cat quia, altera uero propter quid, hunc modum ſubalternationis tẽ
1.Poſt tex. tex.69. *tigit Ariſto.1.poſt.ſecundò tranſcendimus per demonſtrationem ex vna arte in alteram, quando ſubiectum inferioris demonſtretur in ſuperiori, in inferioriq; accipiatur, veluti paulo ſuperius diximus de Metaphyſica, quę monſtrat ſubiecta earum ſcientiarum, quas ſin gulares uocamus. Quare erit ſecundus ſubalternationis modus, cui hic demonſtrationis tranſgreſſus reſpondet, quo Metaphyſica Scientias particulares ſibi ſubalternat. Tertio modo contingit pertranſire, quando in diuerſis ſcientijs eadem res conſideratur, uerùm in vna ſecundum defectum, in altera uerò ſecundũ additionem, tũc enim pertranſit demonſtratio, quia eadem res ex arte in artem deſertur, & in ſuperiori abſolutè & ſecundum defectum pertractatur, in inferiori uerò cum adiectione, hic autem tranſitus duobus fit modis, aut ſubiecti ratione, cùm ſubiectum, quod in altiori abſolutè fuit conſideratum, in inferiori cum adiectione tractetur, vt de numero patet, qui cum additione ſonorus in Muſica fit ſubiectum, interdum uerò merito principiorum, quando ſuperioris principia etiã fiunt inferioris, vt de Aſtrologia dictum eſt, ſi ad geometriam refe-ratur. Quare fit tertius modus ſubalternationis, quando eadem in diuerſis facultatibus fuerint conſiderata; in vna tamen ſecundum*
1. Poſt cõ. 69. *defectum, in altera cum adiectione teſte Auer.1.poſt. Quot igitur modis fiat ſubalternatio, & quæ neceſſariò pro ea requiruntur, hęc dicta ſint. in præſentia ad rem noſtram redeundum eſt, diluendæq; ſunt Egidij rationes. prioris autem dubitationis ſolutio habetur ex dictis. euertitur ſecunda, ꝙ tunc generis partes in facultate conſiderantur, quando genus ſubiectum non tranſcendunt, eodemq; tractan di genere diſputantur, quo modo non ſe habet ens mobile, ſi cum ente conferatur. Hæc volui pro Diui Thom. opinionis defenſione dixiſſe, quæ an uera ſit, iamdudum patuit.*

Tertia opinio, eiusq; improbatio Cap. 7.

QVIDAM expoſitor recentiſsimus lucillus Philaltheus nouum introducens dogma diuerſam à prioribus protulit opinionem, ꝙ ſubiectum & materia in ſcientia naturali ſit natura, quam opinionem rationibus nonnullis nititur confirmare,

quæ

quæ ex ijs deducuntur, quæ manifeſtè inſunt ſubiecto. Prima eſt, ꝙ ſubiectũ in ſciẽtia debet eſſe perſpicuũ, nulluſq; ſit, qui de eo dubitet, natura ſic ſe habet, vt de ea Ariſt. 2. phy. dixerit tentare naturã demonſtrare ridiculũ eſt, quare ea erit ſubiectũ. Pręterea ſubiectũ eſt res primaria, quæ in ſciẽtia cõſideratur, cuius gratia reliqua conſiſtant & pertractentur, propter naturam cætera in philoſophia naturali differuntur, propter eamq; cõſiſtunt, ergo erit ſubiectum. Deinde nomen ſcientiæ ſemper ducitur à materia, quæ cõſideratur, dicitur iatq; ſcientia naturalis, quia de natura contemplatur, nomẽ accipiẽs à natura, veluti etiã Ariſt. 1. cæli vocauit ſcientiam de natura. Debet etiam ſubiectum eſſe unum, a quo unitas ſcientiæ accipitur, natura uerò eſt vna, quare erit ſubiectum. Præterea ſubiectum debet habere partes, & affectiones, quæ de illo demonſtrentur, habet autem natura partes materiam & formam, habet etiam affectiones, motum & quietem. Verùm quis contra eum poſſet ambigere, idem non eſt ſubiectum partis & totius, at natura eſt ſubiectum in ſecundo phyſicorum, ergo totius ſcientiæ non erit materia. Reſpondet ꝙ eſt ſubiectum in ſecundo quo ad quæſtionem quid eſt, ſiquidem ibi definitur, ipſum uero ſi eſt, ibi deſpicitur, in tota vero ſcientia eſt ſubiectum quo ad quæſtionem ſi eſt, & quid eſt, & ſic natura vt diuerſas reſpicit quæſtiones, quæ de ea fieri poſſunt, in diuerſis locis fit ſubiectum. Præterea inquit ꝙ id quod primùm eſt ſubiectum & quod primò conſideratur eſt natura: corpus uero mobile, ens mobile, & corpus naturale, quæ inter ſe non differunt, non ſunt primum ſubiectum, ſed quatenus in ſe naturam capiunt. Hæ ſunt rationes opinionis, quas autor protulit in medium ad confirmandam propriam ſententiam. Verùm magis cortici quàm medullæ incumbens, diuerſoq; & inuſitato dicendi genere uiris peripateticis vtens in multos lapſus eſt errores, nihilq; boni in eius relata opinione inuenitur, & primùm arguitur, naturæ cùm ſubiecti conditio, quæ neceſſariò requiritur, deficiat, nempe vt principia habeat, nullo prorſus modo materia ſcientiæ eſſe poterit. præterea hæc facultas non diceretur ſcientia, etenim ſcientia de ſubiecto per illius principia oſtendit affectiones, ut patet. 1. poſt. quare ſi dicẽda eſt ſciẽtia, operępretiũ eſt naturę dari principia, quod eſt abſurdũ. Deinde principia à ſubiecto ſecernũtur vt in idẽ non poſ-

2. Phy. tex. 6.

1. Poſt tex. 76.

ſint coincidere, at natura eſt principium in philoſophia naturali, pro ſubiecto igitur conſtitui nequit, idem enim principium & ſubiectum eſſet. nulla etiam demõſtratio à priori in hac ſcientia daretur, quandoquidem demonſtrationis cauſæ fluunt à ſubiecti principijs, quod nefas eſt aſſerere, nam teſte Auer. Ariſt. in hac ſcientia vtitur omni genere demonſtrationis. Rurſus illud eſt ſubiectum ut paſſim dictum eſt, cuius principia facultas uenatur, at in hac ſcientia naturæ principia non inquiruntur, cùm eius non ſint principia, hunc differendi modum mutuamur ab Ariſt. aſſerente fieri ſermonem de ente, quia entis principia inueſtigantur, & alibi dixit, orationem eſſe de ſubſtantia, quia huius indagantur principia, & proinde cùm natura principium ſit, ſubiectum erit, cuius natura eſt principium. Nec rationes aliquod habent momentũ, in prima maximè deceptus eſt homo iſte, qui de ſubiecto ſatis eſſe putauit, ſi tãtum ſi e ſt cognoſcatur, cùm & alterum de eo haberi ſit neceſſe, vt puta quid eſt teſte Ariſt. 1. poſt. quod de natura eſt ignotum iuxta huius uiri ſentẽtiam. nec illud admitterem, omnia ob naturam inquiri, quinimo ipſa alterum reſpicit, quandoquidem principia alterius gratia indagantur, veluti Ariſto. initio de phyſico auditu innuit, vbi de principijs propter res naturales pollicetur ſe tractaturum. non poſſum non ſatis mirari huius uiri leuitatem. Nec uerum ſemper eſt librum à materia inſcribi, à multis enim vſus recepit fieri inſcriptionem, interdum ab affectione, ut liber phyſ. de motu, qui eſt paßio, nuncupatur, & conſimili ratione de gener. & corr. nominatus. aliquando à principijs, ſicuti liber phyſ. dicitur de principijs, & liber de anima, ut in ijs, quę ſequuntur, latius explicabimus. Concedimus ei ſubiectum debere eſſe vnum, non tamen quodlibet vnum in facultate vocãdum eſt ſubiectum, ſed id duntaxat, quod primò & per ſe facultas contemplatur, quomodo non ſe habet natura. Falſum eſt etiam pro ſubiecto conſtituendo id tantùm requiri, eius eſſe partes & paßiones, præter enim hæc oportet principia adeſſe. præterea quis ſe contineret à riſu, cùm audiuerit motum & quietem naturæ eſſe affectiones? forma eſt ſubſtantia ſimplex, cuius eſt agere & non pati dixit Ariſto. ergo accidentibus non ſubijcitur, aſſeruit etiam Ariſtot. affectiones illas, quas putamus eſſe ipſius animę, compoſito aſcribi. Ad hæc ſi motus naturæ eſſet affectio, de ea monſtra-

[Margin notes: in pœmio 1. phyſ. — 4. Met. tex. 1. — 12. Meta. tex. 1. — 2. De gẽ. & corr. tex. 53. — 1. De anima tex. 64.]

monſtrari operępretium foret, cùm tamen Ariſt. 6. phyſ. de corpore oſtenderit. Nullus tandem eſſet pręter lucillum, qui naturę & non corporis auderet pronuntiare motum eſſe, quàmuis enim à natura perinde vt ab efficiente proueniat, non tamen in ea vt in ſubiecto recipitur, ſiquidem motus in mobili & non in mouente locandus eſt, vt monſtrauit Ariſto. Receſsit quoq; à veritate, dum euerterit difficultatem, nõ enim fieri poteſt vt in tota ſcientia ſit ſubiectum quo ad utranq; quęſtionem, ſi enim ſubiectum debet eſſe notiſsimum, de eo nihil eſt quærendum, dixit etiam Ariſt. de ſubiecto ſi eſt, & quid eſt eſſe præcognoſcendum. præterea ſi dictum eſt tentare monſtrare naturam eſt ridiculum, quo modo eſt quæſtio in uniuerſa philoſophia? præſertim cum in toto pars complectatur, & cùm uniuerſam dicimus ſcientiam, ſimul intelligimus quamuis partem: falſum eſt etiam illa tria idem eſſe, inferius enim aperiemus, quantum inuicem differant. 3. Phy. tex. 20.

Opinio propria. Cap. 8.

ALIORVM exploſis ſententijs eam recenſere opinionem tempus admonet, quam veram & Ariſto. eſſe opinamur, & proinde dicimus in vniuerſa ſcientia naturali materiam & ſcopum eſſe corpus naturale, quatenus naturale, ſiue vt habet in ſeipſo principium motus & quietis, quod idem eſt. quod rationibus & authoritatibus fulcire conabimur. In facultate id ponendum eſt ſubiectum, cuius principia, partes, & affectiones largiuntur, naturalis corporis in philoſophia naturali ea inquiri perſpicimus, quandoquidem in libro phyſ. quatuor cauſarũ genera tra duntur & accidentia quæ communiter inſunt corpori naturali, in libris uerò particularibus de eiuſdem partibus fit diſputatio. quare corpus naturale conſtitui neceſſe eſt ſubiectum. Præterea id in uniuerſa facultate ſtabilitur ſubiectum, quod ſuo amplexu continet quæcunque in libris ſingularibus partis ſubiecta ſunt; ſubiecta in libris, qui deinceps ſunt, continentur tanquam in genere in corpore naturali. deinde id ſolum in facultate ſubiecti conditiones recipit, quod eſt compoſitum, & principia habet, at nihil eſt præter illud, quod pro ſubiecto ſtatui poſsit, non enim natura, ſiquidem principijs

caret,nec ens,quandoquidem latius patet , ſupereſt vt ſit corpus.
1.cœl.tex 1. *hoc idem Ariſto.teſtimonio confirmari poteſt,qui 1.cœli dixit ſciē-*
tiam naturalem ferè plurimam eſſe circa corpora & non dixit cir-
ca entia,aut circa naturam ,& initio primi phyſicorum ait princi-
pia ſcientiæ velle inquirere,quæ de natura eſt,hoc eſt entis natura
lis,quod proprio nomine dicitur corpus naturale , ergo corpus na-
turale eſt ſubiectum.modus monſtrandi eſt Ariſt.dicentis fieri ſer-
monem de ente & de ſubſtantia,quia entis & ſubſtantiæ principia
inquiruntur.pro re igitur conſiderata ſit corpus naturale , adieci
naturale,corpus.n. æquiuoce dicitur de Mathematico & naturali,
nullum uerò æquiuocum pro ſubiecto accipi debet,ſiue modus con-
ſiderandi ſit,ſiue res conſiderata,per corpus autem naturale ſcien-
tia vocata naturalis non ſecernitur à Metaphyſica & arte fabrili,
quæ ſimiliter in corporib.naturalib. uerſantur,iure igitur fuit adie
ctum vt naturale,quo differt à cęteris facultatibus,licet enim in re
conſiderata complures facultates poſſint conuenire.ſeiunguntur ta
men tractandi genere,ſicuti in Mathematica & ſcientia naturali
2.Phy.tex. 18. *oſtendit Ariſto.utraq; enim de ſuperficie & ſolidis diſſerit,diuerſo*
1.Ethic capi.7. *tamen modo, & primo ethic. dixit geometram & fabrum rectum*
conſiderare,hunc uerò propter opus,illum ſcientię cauſa.ob id adie
cimus ut naturale,quandoquidem eo philoſophia naturalis à căte-
ris facultatibus ſecernitur,in quibus interdum de naturali corpore
diſputatur,in illis enim non habetur doctrina de eo,ut habet in ſeip
ſo principium motus & quietis,vt in ſcientia naturali uſu uenit.ic-
2.Phy.tex. 1. *circo Ariſto.cùm voluerit docere diſcrimen inter ea , quæ arte fiũt*
& naturalia , ait naturalia habere in ſeipſis principium motus &
6.Met.tex. 1. *quietis,quę verò arte fiunt eo carent principio,quod idem 6.meta-*
11. Meta. ſum.1.cap. 1. *phy.teſtatus eſt, cùm dixerit ſcientiam naturalem circa tale ens uer*
ſari,quod tale complectitur principium.& alibi ait quod omnis in-
tentio naturalis eſt circa ea,quæ habent in ſe principium motus &
quietis. Quare non ſumpſit mobilitatem,(vt latini arbitrati ſunt)
pro conſiderandi modo,ſed illud potius quod eius eſt principium,ſi
quidem conſiderandi modus magis prioris quàm poſterioris habet
rationem. Ab hac opinione uiri eruditi Ariſto.interpretes non re-
cedunt,græci & Arabes,Auer.in præfatione 1.phyſ. ait ſubiectũ
philoſophiæ naturalis eſſe rem ſenſibilem vt habet in ſeipſa princi-
pium

pium motus & quietis, intelligit autem per rem ſenſibilem corpus naturale, dixit uerò ſenſibile, ut oſtenderet philoſophum naturalem ſolùm ea contemplari, quæ ſunt in materia ſenſibili, & non vt à materia abiuncta ſunt, corpus enim naturale tantùm in ſeipſo habet principium motus & quietis. Huius etiam opinionis fuit Them. qui in præfatione eiuſdem libri (licet eam Simpli. eſſe putem) intentionem eſſe ait agere de rebus naturalibus, quæ naturales ſunt, & quid per res naturales intellexerit explicans, quas pro re conſiderata accepit, addit, idem eſt autem & corporeas dicere & naturales, hæc igitur res naturalis eſt res habens naturam, quę & corpus naturale proprio nomine nuncupatur, quod ut naturale cõſideratur, quod idem aſſeruit Simpl. Quàmuis autem corpus naturale dixerim eſſe ſubiectum, eorumque ſententias abiecerim, qui ens mobile aut corpus mobile eſſe putauerint, dicimus tamen re hæc omnia conuenire, ens ſcilicet mobile, corpus mobile, res naturalis, res ſenſilis, & corpus naturale, ratione verò tantum differre, veluti ens riſibile, ens rationale, & animal rationale, licet enim vnoquoque eorum idem ſignificetur, quippe homo, id tamen diuerſa ratione fit, quandoquidem alia à poſteriori hominem denotant veluti ens riſibile & corpus riſibile, eſt enim riſibile hominis accidens, eoq; natura poſterius, alia uero a priori, ſicuti ens rationale & animal rationale, ſiquidem rationale principium illius eſt, & eo antiquius, eſt etiam ens genus remotius. Si igitur, ut omnis euitetur error, ſubiectum eſt deſcribendum, illud ſumendum eſt, in quo & genus accipitur propinquius, & ratio principij ſpectatur, ſicuti in eo quod nos protulimus, apparet. eſt enim omnibus prius illud, quod vocauimus motus & quietis principium, nanque ad id & mobilitas & ſenſibilitas reducuntur, proximius etiam accepimus ſubiectum quandoquidem in corpore motus & eius principium inuenitur primùm, id autem materia & forma conſtat, quarum vna vt materia principium motus paſſiuum eſt, altera uero actiuum. & hæc dicta ſint ſatis de ſubiecto uniuerſæ ſcientiæ, quæ de natura eſt.

De ſubiecto libri phyſ. opinio aliorum. Cap. 9.

EXPLICATO totius philoſophiæ naturalis ſubiecto transſeundum modo eſt ad partis ſubiectū, perſcrutemurque materiam libri de phyſico auditu, in cuius diſputatione non diſcedemus à noſtra philoſophandi via, vt prius de aliorum placitis diſſeramus, mox eam, quam putamus eſſe ueram, afferemus ſententiam. Eſt prima ferè omnium græcorum opinio Them. Simpl. & Ioa. gram. qui in initio primi phyſ. concordes dixerunt intentionem & propoſitum Ariſt. eſſe de ijs, quæ communiter conſequuntur omnes res naturales, agere, peculiaria enim ſingulis rebus in libris, qui poſt hunc ſunt, tractantur. Verùm quæ ſint hæc, quæ uniuersè res omnes naturales conſequūtur, vario modo intelligitur iuxta eorum ſententiam. Ioa. gram. quinq; eſſe hæc arbitratus eſt, materiā, formam, locum, tempus & motum. Them. & Simp. quorum eadem eſt præfatio, vt ſuſpicandum ſit vnum alteri eripuiſſe, aut quod magis probo, quòd ab aliquo aut impreſſoris incuria fuerit adſcripta Them. non enim Them. paraphraſim redolet, & modum eius interpretandi, addiderunt præter ea finem & efficientem, veluti ipſi id uidentur indicare dum propriam explicant ſententiam: & quid per communia omnibus rebus naturalibus ſit intelligendum, aperiunt, aiunt quemadmodum ſunt principia & quæ principijs ſunt annexa intelligentes per principia, quæ cauſæ nuncupantur, vt finem & efficientem, ſimul & concauſas, vt formam & materiam, per annexa verò motum, locum, & tempus. Ab iſtorum opinione non viſus eſt receſsiſſe Auer. intentionē huius libri aſſerens eſſe cognoſcere cauſas communes omnibus rebus naturalibus, vt materiam, formam, finem, & efficientem, & accidentia communia, huius ſimile 3. phyſ. protulit. Simpl. teſtimonio Ariſto. nititur id perſuadere, qui in initio operis propoſuit ſe tractaturum de principijs, quæ communia ſunt rerum omnium naturaliū, vt de eo in facultate diſſeratur, quod in proœmio proponitur: cùm igitur inſtituta ſint communia principia, hęc erunt materia, & ſubiectum operis. idem eſt intelligēdum de communibus accidentibus, de quibus ſimiliter fuit propoſita intentio

3 Phyſ. cō. 2.

tentio tertio illius operis. idem Auer. alia ratione molitur, vt id ſit neceſſe eſſe ſubiectum, quod definitur, cùm uerò principiorum et accidentium tradãtur definitiones, merito ea ſubiectum fateri opor tet, & addit, ꝙ corpus non definitur hic ob id quia non eſt ſubiectum, ſed magis in libro de cęlo, in cuius initio dixit ꝙ liber de cælo eſt primus, in quo fit ſermo de partib. ſubiecti totius, & iccirco ibi fuit definitum corpus, quoniam eſt commune ſubiectum in tota ſciẽtia de natura, & id erat neceſſarium, prius inquam definiri ſubiectum totius, antequam de partibus fiat ſermo. monſtratur hoc idem ijs, quæ Ariſto. reliquit in principio primi meteor. ubi epilogo colligens quæ dixerat in libro phyſ. ait ſe locutum eſſe de primis cauſis naturæ & de omni motu naturali: cum id, quod epilogo colligitur, ſit tractatum in narratione, merito principia & accidentia accipi oportet pro ſubiecto præſentis libri. 3. Phy. tex. 2. 2. Phyſ. cõ. 3.

Opinio improbatur. Cap. 10.

QVAMVIS his plurimùm debeam, eosq; cæteris omnibus Ariſto. expoſitoribus præſtare putauerim, Ariſt. tamen & veritati magis debere ſentie, quibus nihil eſt prę ferendum, ideo pace eorum dixerim, in hac re eis non eſt adherendum, non enim ſemper in uerba expoſitorum eſt iurãdum, quaſi ſem per bene & nunquam malè ſentire poßint, in ueritate enim inueſtiganda nõ magis autoritatis quàm rationis momenta quærẽda ſunt, nec ſatis probare ſoleo, quod de Pythagoreis dicitur, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex eis quęreretur, quare ita eſſet, reſpõdere ſolitos, ipſe dixit: quinetiam plerunq; nocet ijs, qui diſcere uolunt, autoritas eorum, quos inſequuntur. iccirco nos iſtorum periculo decreuimus ſolùm Ariſto. inſequi, nec ſinere aliorum ſuaſionibus nos decipi, & vnà cùm alijs in multos delabi errores. Primùm igitur in hos ſic inuehimur ex ſubiecti conditionibus argu mentantes, inter quas cùm hæc vna ſit potior, vt principia habeat, ex quibus de eo monſtrentur paßiones, conſtat veram non eſſe iſto rum opinionem, ſiquidem principiorum non ſunt principia, & ſi cum his accidentia connumerabimus, tunc accidentium eſſe accidentia

 oportebit.

oportebit. Præterea de tali ſubiecto habita notitia ſcientia dici non poterit, quandoquidem per cauſas comparari nequit; ſcire uero per cauſam fit. Additur etiam quòd principia, accidentia & ſubiectum eſſent idem, pro vnoq; ponerentur, quod valde eſt abſurdum, nanq; ea in facultate mutuò ſecreta ſunt. deinde cùm hæc plura & non vnum ſint, ſcientia non dicetur vna, ſcientiæ enim vnitas ex ſubiecti vnitate oritur. Præterea vt Ariſto. argumentandi modo vtar, illud eſt ſubiectum, cuius principia facultas indagat, ſic enim ipſe oſtendit de ente & de ſubſtantia haberi doctrinam, quia eorum quę
6. Metaph. & 12. tex. 1. *rũtur principia, cùm autem principiorum quæri non poſſint principia, iurè in facultate ſubiectum eſſe non poſſunt. Additur etiam, illud eſt ſubiectum, cuius gratia omnia tractantur, ad ipſumq; omnia diriguntur, & quod alterius merito non inueſtigatur, uerum principia & accidentia ſemper ad alterum referri eſt neceſſe, inſtituit. n. Ariſto. in principio lib. phyſ. ſe largiturum principiorũ cognitionem, vt rerum naturalium ſcientiam adipiſcamur, & 3. eiuſdem dixit ſe uelle agere de accidentibus ut earundem ſunt affectiones. Sigillatim quoque aduerſus hos poſſumus argumentari, & primùm contra Simpl. dicentem hic de principijs agi, & de ijs, quæ ſequũtur principia, ſiue de annexis principijs, intelligentem per annexa principijs accidentia, nempe motum, locum, & tempus, quod prorſus uerum non eſt, licet enim hæc ſint accidentia, non tamen principiorum ſed rerum naturalium. opinatur etiam de ijs tractari propter principia, quod ſimiliter eſt falſum, vt cùm de diuiſione loquemur fiet perſpicuum. Reprehenditur quoque Ioa. gram. qui duntaxat quinque eſſe putauit, quæ communiter conſequi dicuntur omnes res naturales, & omiſit finẽ & efficientẽ, quare eius expoſitio eſt diminuta. iſti igitur dum hæc profitentur, à veritate & à mente Ariſt. remoti ſunt, ideo eorum opinio dimittatur. Sunt & alij, qui aliter ſentiunt, vt Diuus Thom. ens mobile uniuersè affirmans, & Albertus corpus mobile, uerum quia falſitas opinionum patet ex dictis, cùm de ſubiecto totius locuti fuimus, non eſt neceſſe vt pluribus in hos agamus, ſed rei veritas aperiatur.*

Propria

Propria opinio. Cap. 11.

EST autem noſtra opinio, à qua non recedit Alex. referen te Simpl. quòd in libro phyſ. ſubiectum ſit corpus naturale, ut naturale, quod etiam poſuimus in tota ſcientia naturali quod ſic oſtenditur. Id eſt ſubiectum, ut frequenter diximus, cuius facultas principia & affectiones uenatur, in hoc uerò libro perſpectum eſt principia & paßiones corporis naturalis inueſtigari, ut quatuor prima genera cauſarum, & motum, locum, & tempus. Prætereа eſt Ariſt. mos in principio uniuerſę ſciētiæ, ut prius de uniuerſo ſubiecto loquatur, antequàm de eius ſpeciebus uerba faciat, cùm autem in tota ſcientia naturali ſermo fiat de corporis naturalis ſpeciebus, ut dixerit in procœmio Ioan. gram. Ariſt. complures naturales libros conſcripſiſſe, & multitudinem librorum ſuorum omnibus rebus naturalibus diſtribuiſſe, ueluti in libro de cęlo locutus eſt de corporib. ſimplicibus, in reliquis de mixtis imperfectis & perfectis, inanimatis, & animam habentibus, ergo oportuit de genere utputa de corpore naturali prius fuiſſe dictum. Deinde corpus naturale bifariam poteſt conſiderari, aut abſolute & in ſeipſo, aut ut in ſuis ſpeciebus habet conſiſtentiam, ſecundo modo de eo fuit tractatum in libris particularibus, ſuperat ut de eo quatenus in ſeipſo conſideratur, alicubi differeretur, alioquin non fuiſſet exacta de eo ſcientia. Et tandem cùm nulli alteri ſubiecti conditiones accōmodari queant quas ſæpius ad ſubiectum requiri ſtatuimus, niſi corpori naturali, merito illud pro ſubiecto ſtabiliendum eſt. Verum oritur dubitatio, paulo enim ſupra hoc idem in uniuerſa ſcientia naturali cōfesſi fuimus ſubiectum, quare ſubiectū totius & partis erit idem. Diluitur, nullum eſt abſurdum idem uaria ratione in diuerſis facultatibus eſſe ſubiectum, poteſt enim de corpore naturali duplex fieri cōſideratio, ut dictū eſt, aut cōmuniter quoad ea, quæ ei uniuerſè inſunt, ut principia & accidentia communia, aut quoad ea, quæ ſibi propria ſunt, primo modo conſideratum præſentis libri eſt materia & ſcopus ſi uero utroq; modo illud attenderimus, in tota ſcientia eſt ſubiectū.

Rationes

Rationes opinionis grecorum ſoluuntur. Cap. 12.

NVNC ſoluendæ rationes ſunt oppoſitæ opinicnis, prima euertitur, ſi prius quot modis intentio accipiatur, explicemus. Eſt enim duplex, primaria & ſecundaria, uocatur primaria, quæ cum ſubiecto coincidit, ab eoque non differt, quando quidem quod principaliter in facultate intenditur eſt ſubiectum, cuius gratia cætera tractantur, ad quod etiam perinde ac ad principalem ſcopum dirigi omnia neceſſe eſt, reliqua uerò ſecundariò cognoſcuntur, ut principia, partes, & paßiones: nec quis putet hæc per accidens conſiderari licet dixerimus ſecundariò, per ſe enim tractari putandum eſt, quamuis non primò. Secundaria igitur intentio claudit principia, partes, & affectiones: à ueritate igitur alieni ſunt, qui intentionem & ſcopum à ſubiecto differre opinantur, & ex hoc uolentes ad bonum ſenſum ſententiã grecorum redigere, ut de intentione & non de ſubiecto eorum opinio ſit intelligenda, intentio enim & ſubiectum idem eſt, ſi de ea loquamur, quam primariam uocauimus, quod enim primò & per ſe in facultate intenditur eſt ſubiectum, quare ſcopus & intentio dici poteſt: & taceant aliter ſentientes, quos uelim eos conſulere de rebus in philoſophia, qui ſubtilius & exactius rerum naturas perſcrutantur. Dicimus igitur quòd uerum eſt Ariſt. in initio lib. phyſ. propoſuiſſe ſe locuturum de principijs, ſed id non propter ſe uerùm ob res naturales, quæ principaliter intenduntur, & quarum etiam principia & cauſas erat inueſtigaturus, deſpexit autem primariam intentionem, quoniam erat perſpicua. Ad id de accidentibus ſimiliter reſpondetur, quod uerum eſt de eis fieri ſermonẽ, uerùm ob res naturales, ut Ariſt. dixit. Ad rationem Auer. bifariam poſſumus reſpondere, primum quod falſum eſt de ſubiecto ſemper eſſe præcognoſcendũ ipſum quid
1. poſt. tex. 76. *quando enim id fuerit notum, ſpernitur, ut Ariſt. monuit, ars enim in difficilibus uerſatur; Dicimus etiam quòd corpus naturale fuit*
2. phyſ. tex. primo. *definitum ab Ariſt. 2. phyſ. cum dixit, quæ natura ſunt omnia uidentur habere principium motus & quietis, id enim eſt corpus naturale, definiuit etiam corpus naturale dum ait, habent naturam*

quæcunque habent principium in ſeipſis motus & quietis, hæc enim eſt corporis naturalis definitio, ut etiam ueritate coactus ibi ſentit Auer. tanta eſt uis ueritatis, quæ præter id, quòd ingenio cuius quam hominis aut arte ſubuerti non poteſt, etiam aliquando cogit homines ſibi contraria dicere. Verùm quis poſſet ambigere, tunc in 1. cęli Ariſt. fuiſſet ſuperuacaneus, in quo ſimiliter definiuit corpus naturale. reijcitur dubitatio, quòd alio modo hìc & ibi de corpore fuit tractatum, non ſicuti nonnulli putant in primo cęli definiri corpus Mathematicum, fuiſſet enim factus tranſitus artis, ubiq; de corpore naturali diſſeritur, uerum in libro cęli conſiderari ut tres continet dimenſiones, nec ſic ſubterfugit conſiderationem naturalē, in magnitudine.n. & dimenſionib. ut naturalis corporis ſunt, in qbus etiã uerſatur philoſophus naturalis, ut teſtatus eſt Ariſt. 2. phyſ. & primo cęli. ut uero capit materiam & formã, quæ motus & quietis ſunt principia, fuit definitum in phyſicis. Quare magnopere Auer. deceptus eſt, qui corpus naturale fuiſſe definitum in primo cęli opinatus eſt, ut in philoſophia naturali eſt ſubiectum. Ad id, quod poſtremo fuit allatum, reſpondemus ibi Ariſt. ſolum epilogo collegiſſe principia & accidentia naturalis corporis, ex his tamen ſimul corpus naturale infertur, quandoquidem dictum eſt principia & paſsiones ſubiecti merito tractari. Hæc hactenus de libri phyſicorum materia.

2. phyſ. tex. 4.

2. phyſ. tex. 18.

1. cęli tex. 1.

De diuiſione ſcientiæ naturalis. Cap. 13.

CVM de ſubiecto ea omnia dixerimus, quæ ei neceſſaria erant, nunc ad id, quod ſecundo loco inſtituimus, tranſeundum eſt, in quo polliciti fuimus de diuiſione loqui. Verùm quia propria rectè cognoſci non poſſunt, niſi prius, quæ ſunt cõmunia intelligantur, iure decreuimus, ut idem in ſuperiori quæſito ſeruauimus, prius de totius philoſophię naturalis diuiſione loqui, deinceps ad eã deueniemus, quæ ẽ pſentis uoluminis. Se offert primùm opinio Ioa. Gram. qui totam philoſophiam naturalem in duas principes partes diſtribuit penes ea, quæ conſequuntur res naturales, atque eſſe nonnulla, quæ communiter res omnes naturales conſequuntur, alia uerò, quæ aliquibus rebus ſunt propria, intelligens principia

pia & affectiones per ea, quæ conſequuntur. ſunt autem eorum aliqua communia, quæ in rebus omnibus naturalibus inſunt, ut materia, forma, motus, locus, & tempus, aliqua uero propria, quæ in rebus quibuſdam inueniuntur. egit Ariſt. de ijs, quæ communia ſunt, in libro de phyſico auditu, de proprijs uniuſcuiuſque in cæteris libris philoſophiæ naturalis, & hæc pars in alias ſecari poteſt, quatenus diuerſæ ſunt res naturales, ut pro harum ſectione diſtribuenda ſit. idem Auer. ſentit cùm de ordine in præfatione loquitur. Verùm iſtorum opinio mihi non arridet. Primùm quoniam operis diuiſionem penes ea accipi oportet, quæ principaliter tractantur, ipſi uero ex principijs & accidentibus eam ſumpſerunt, quæ ſecundariò facultas amplectitur. Præterea ueluti ex ſubiecto facultatis diſtinctio capitur, conſimili ratione ex eodem ſumenda eſt diſtributio. Quare iſtorum opinio recta non eſt. Sunt alij ut Them. & Simpl. qui totam ſcientiam de natura diuidentes duas in partes, dixerunt unã eſſe de principijs, & de ijs, quæ neceſſario conſequuntur, ut ſunt annexa principijs, alteram uerò de ijs, quæ ex principijs oriuntur. Prima pars habetur in octo libris phyſ. altera in reliquis philoſophiæ naturalis libris, quæ adhuc in multas ſecatur partes, ut patuit ex Ioan. gram. Hæc opinio licet priori ſit rectior, uera tamen penitus non eſt, nam prior pars penes ea fuit accepta, quæ non principaliter in facultate pertractantur, quot fieri non debet, ex ſubiecto enim ſumenda eſt librorum diſtinctio. Præterea diuiſio in ea eſt facienda, quæ eodem continentur genere, at principia, & quæ ex eis oriuntur genere differunt, diſtributio igitur horũ non fuit recta. Nos Ariſt. tanquàm ſaxo adhærentes aliter ſentimus, & penes tot fieri poſſe diuiſionem dicimus, quot ſunt ea, de quibus per ſe facultas differit, quę cùm tria ſint, ex his omnibus ſumi ſectionem aſſerimus: ſunt autem principia, affectiones, & ſubiectum, à, quo tamen ſectio primùm accipienda eſt. ſubiectum eſt, ueluti & ipſum facultas primum contemplatur, reliqua uero non adeo principaliter. Ab hoc igitur diuiſionem accipientes dicimus ſcientiam de natura duas in partes ſecari, una eſt, quæ de uniuerſo agit ſubiecto, quæ octo libris phyſ. comprehenſa eſt, altera, quę in reliquis libris complectitur, de ſpeciebus diſputat, quę in facultatis partibus propria uocantur ſubiecta, quæ adhuc in tot diſtribuitur partes, quot ſunt ſpecies totius ſubiecti.

ſti. Poteſt ſecunda ſectio fieri penes principia, ut una ſit pars, quæ de communibus tractat principiis, alia de propriis, prima conſcripta eſt in libris phyſicorum; altera in cæteris libris. Ex affectionibus etiam licet ſumi diuiſionem, quarum aliæ communes ſunt, de quibus in libris agitur phyſ. aliæ uero propriæ, quæ in iis, qui deinceps ſunt, libris tractantur, & hæc ſecunda pars diuiditur adhuc pro numero diuerſarum rerum, quarum affectiones inquiruntur. Diſtributio igitur totius ſcientiæ ex his tribus accipi poteſt, quamuis doctior ſit, quæ penes ſubiectum & eius partes attenditur.

De diuiſione libri de Phyſico auditu opinio Simplicii, & ſociorum Ariſt. Cap. 14.

NVNC alterum aggrediamur; quod magis urget, & in quo plures conſiſtunt difficultates; hoc autem eſt de diuiſione libri phyſ. in cuius diſceptatione à noſtro conſueto philoſophandi more non diſcedemus, ut prius aliorum ſententias referamus. in hoc autem omnes conueniunt ut totus hic liber duas in partes diuidatur, in unam, quę eſt de principiis; in alteram de motu, diſſentiunt autem ubi de his fiat diſputatio. Eſt prima opinio ſociorum Ariſt. ut initio quinti & ſexti phyſ. refert Simpl. quã ipſe & Them. in proœmio primi phyſic. ſecuti ſunt, quòd quinque priores ſint de principiis, tres uero poſteriores de motu. Primùm id Simpl. oſtendit ex progreſſu Ariſt. qui in primo de materia; & forma, & de priuatione; quæ formæ opponitur, agit. In ſecundo de cauſa efficiente; & de fine, & de caſu; & fortuna, quæ uocantur per accidens cauſæ efficientes. dicentur igitur libri de principiis, in quibus & qui tertius nuncupatur, numerari exiſtimauit; licet in eo de motu diſſeratur, quoniam eius cognitio propter eam, quæ eſt de natura, tradita eſt, ut in principio tertii teſtatus eſt Ariſt. in eodem de continuo diſputatur & de infinito, quandoquidem motus continuus & diuiſibilis in infinitum eſt. Preterea cùm corpora naturalia ſint in loco in loco que moueãtur; conſimili ratione de loco in quarto fit ſermo, & cùm apud nonnullos locus eſſet ſpatium uacuum; & inter principia pone

retur,ideo in quarto de uacuo fuit dictum, in quo ſimiliter de tem-
pore actum eſt,ſi quidem tempus motum metitur. Erat etiam operæ
pretium pro motu eius ſpecies cognoſci, & oppoſitiones, quas
habet ad quietem,& ad ſeipſum & quomodo ſit unus de quibus in
quinto diſſeritur.Cùm autem,quæcunque à tertio ad Quintum uſq;
enumerauimus,propter motum ſint tradita,de quo conſcriptum eſt,
ut naturæ definitio intelligeretur, iure huius & reliquorum tracta
tio uniuerſa ad naturam dirigitur, quæ cùm de materia & forma,
quæ principia ſunt,dicatur,meritò omnes hi libri tali nomine digni
ſunt, ut de principijs nuncupentur.Tres uerò poſteriores uocantur
de motu, quia in ſexto de eo fit exordium ſecundum ſeipſum,
& iuxta ſuam naturam.Hoc idem Simpl.in initio ſexti Ariſt.teſti-
monio nititur confirmare,qui crebrò quinque priores de principijs
8.Phy.tex. uocat,alios uerò de motu.nam.8.phyſ.definitionem motus in tertio
4. traditam accipiens ſic ait.incipiemus autem primum ex definitis
à nobis prius in phyſicis.intelligit autem librum tertium, dicun-
tur enim libri phyſici, hoc eſt naturales ſiue libri de principijs, ait
etiam in fine eiuſdem. Quòd igitur infinitam magnitudinem nō
contingat eſſe,oſtenſum eſt prius in phyſicis. ſimiliter intelli-
1. cœl. tex. gens tertium,in quo de infinito diſſeruerat.& primo cœli negat da
54. ri corpus infinitū,& id ſe dixiſſe in libro de principijs fatetur,quod
in tertio phyſ. fuit explicatum. Quòd igitur non eſt infinitum
corpus,palā ē & per ea,quæ particularia ſunt ſpeculātibus hoc
modo & uniuerſaliter conſiderantibus, non ſolum ſecundum
rationes,quæ in iis,quæ circa principia dictę ſunt à nobis,deter
minatum eſt enim & ibi uniuerſaliter prius de infinito quomo
do eſt,& quomodo non eſt. Tres uero poſteriores dici de motu
3. cęli.tex. ſic oſtenditur, nam Ariſt.3. cœli loquens contra antiquos aſſeren-
5. tes magnitudinem eſſe indiuiſibilem, ait ſe dixiſſe de his prius in ſer
monibus de motu innuens ſextum librum. De his autem conſide-
tex.38. ratum eſt prius in iis,quæ de motu,ſermonibus.& inferius aſſe
rens multa euertere, qui corpora indiuiſibilia ponunt, ait ſe de re
hac dixiſſe in libro de motu intelligens eundem ſextum.De quibus
1.cęl. tex. dictum eſt prius in iis,quæ de motu diximus. Primo etiam eiuſ-
38. dem inquit fieri non poſſe infinitam magnitudinem pertranſiri in tē
pore finito,ut fatetur ſe dixiſſe in his,quæ de motu,intelligens ſex-
tum

tum. Sed illud quidem manifeſtum eſt, quòd impoſsibile ſit infinitam pertranſire in tempore finito, in infinito ergo, oſtẽſum enim eſt hoc prius in iis, quæ de motu. *Et primo de gen. & corr. tradens duplicem cauſam generationis, materiam, & efficiẽtem, ait de cã efficiente ſe prius egiſſe in ſermonib. de motu intelligens octauum.* De illa enim dictum eſt prius in de motu ſermonibus. *His igitur conſtat totius operis duas eſſe partes, & quinque priores libros dici de principijs, alios uerò de motu.* 1 de gen. & corr. tex. 14

Reijcitur opinio. Cap. 15

INVEHAR contra hos bona cum uenia, eorumq́; errores aperiemus depoſita amicitia pro ueri inquiſitione, maior enim habenda eſt ratio ueritatis quàm amicitiæ. Primùm autem ſic arguuntur, affectiones, ut paſsim dictum eſt ſubiecti merito in facultate conſiderari eſt neceſſe, ergo illius gratia erant pertractandæ, nam teſte Auer. alicuius ſubiecti perfecta doctrina non habetur, niſi quæ ei contingunt, fuerint cognita, & Ariſt. primo poſt. ait, quòd ſcientia demonſtratiua contemplatur paſsiones ſubiecti, quare ob ſubiectum de affectionibus ſit tractatio. Præterea quæ de ſubiecto demonſtranda ſunt, ad principiorum cognitionem non oportet referri, paſsiones de ſubiecto, ut perſpecta notaq́ue ſit eius natura, probantur. Deinde, ut iamdudum dictum eſt, & principia, & affectiones, & partes propter ſubiectum conſiderantur, quare de corpore naturali diſciplina fuiſſet diminuta, ſi de eo propria accidentia non fuiſſent monſtrata. Additur etiam quòd modus conſiderandi modo definiendi ſimilis eſt, definitur autem motus, ut corporis naturalis eſt paſsio, quando dictum eſt, motus eſt actus entis, & ipſius mobilis, quare ut ad corpus naturale ſpectat, de eo diſſeritur, id ex Ariſt. confirmatur, qui tertio phyſ. pollicitus eſt ſe de his locuturum, ut rerum omnium naturalium ſunt accidentia, ſic enim ait. Manifeſtum igitur eſt quòd & propter hæc, & propterea ꝙ cunctis ſunt communia & uniuerſalia hęc omnibus, cõſiderãdũ erit. *Magis eſt autem putandum ibi de his fuiſſe per ſe pertractatũ ubi eorum traduntur definitiones, & ueluti principia non dicuntur per ſe cõſiderari, quoniam eorum notitia ad ſubiectum dirigitur, cõ*

1. de anima com. 3.
1. poſt. tex. 5.
3. Phy. tex 2.

*ſimili ratione nec affectionum tractatio per ſe dicenda eſt, quando-
quidem ad idem refertur. Abhorret etiam à ueritate eorum opi-
nio cùm in ſecũdo libro de fine et efficiente agi opinati ſunt, ſi enim,
ut etiam ipſi teſtantur, in libris phyſ. de principijs communiſſimis
diſſeritur, erat neceſſe de illo fine & efficiente ibi tractari, qui om-
nibus ſunt communes, quos cùm in unum, quem Deum benedictum
dicimus, coire perſpicuum ſit, de hoc in ſecundo diſſeri erat neceſſe,
uerùm cùm de eo ibi nihil dictum ſit, ut unicuique conſtat, à uerita-
te igitur alieni ſunt, dum de fine & efficiente agi dixerint. Præte-
rea ſi eorum uera eſſet opinio, non magis de his dicendum foret fuiſ
ſe diſputatum, quàm de materia & forma, de quibus ſimiliter facta
fuit oratio, cùm earum traditȩ ſunt definitiones, & de natura dictũ
eſt, ibi etiam de quatuor cauſis factus fuit ſermo. Si igitur ibi res tra
ctatur, ubi definitur, affirmari oportet non ſolùm de fine & efficien
te Ariſt. diſſeruiſſe, ſed etiam de materia & forma. Nec minus ſemo
tum eſt à ueritate alterum eorum dictum, in ſeptimo & octauo tra-
ctari de motu: ſermo enim de motu ibi factus alterum ſpectat, & non
eſt ſecundum ſuipſius naturam, ut malè ipſi putarunt, ſed ad pri-
mum dirigitur motorem, ut paulo infra monſtrabitur. Parum etiam
ſibi conſtat Simpl. nam in tertio phyſ. com. 1. dixit de motu ſermo-
nem concludi quatuor ultimis libris, quare inter eos quintum con-
numerauit, qui de motu ſunt. Rationes, quas attulimus, facile dilui
poſſunt, & prima ex dictis ruit, nam motus primùm erat ob ipſum
ſubiectum cognoſcendus, cuius eſt affectio, ueluti ex Ariſt. oſtendi-
mus ſecundariò uerò propter naturam, in cuius poſitus eſt definitio
ne, ut magis eo loco Ariſt. noluerit ordinis rationem reddere, tra-
ctandum autem erat de eo, etiam ſi non fuerit ſumptus in naturæ de
finitione, ob ſcientiæ neceſsitatem & ſubiecti cognitionem. Ad ea,
quæ ex Ariſt. afferuntur, facilè reſpondetur cum Ioa. gram. in proœ
mio, quòd ſæpe Ariſt. nomine partis uniuerſum opus intelligit, iccir
co interdum uocat librum de principijs, nonnunquam de motu, licet
enim & complura alia hìc diſputentur, ea tamen ſunt prȩcipua, &
de quibus ſermonem longiorem protraxit, merito his duobus nomi-
nibus conſueuit uniuerſum opus uocare, nec aliquid uetat, quin de-*
3. cȩli tex. 38. *nõiatio accipi poſsit ab alijs, quæ ibidẽ tractãtur, ueluti tertio cœli
ſextũ phyſicorũ nuncupat de tempore, de quo in quarto dictum eſt.*

Porphyrij

Porphyrij, & Ioan. gram. opinio eiuſqu e improbatio. Cap. 16.

PORPHYRIVS teſte Simpl.in proœmio quinti phyſ.& Ioa.gram.in exordio totius operis parùm à prioribus diſſentientes quatuor priores uocarunt de principijs, quatuor uerò posteriores de motu, eiſdem ferè moti rationibus. ait enim Ioa. gram. quod cùm inſtitutum Ariſto. ſit in uninerſo opere de Phyſico auditu quinque diſputare, nempe materiam, formam, locum, motum & tempus, in primo & ſecundo de materia & forma differit, licet in primo magis de materia, in ſecũdo uero magis de forma, quæ cum ſint principia non iniuria libri de principijs dicentur, & cùm motus propter naturam tractetur, & reliqua propter motum, meritò tota ea oratio ad naturæ cognitionem referetu r. Quare duo, qui deinceps ſunt libri, in quibus de his agitur, ſimiliter de principijs dicuntur. in quinto Ariſt. inchoauit de motu ſermonem, de eoq; ſecundũ ſuijpſius naturam agit, pro quo declarando ea omnia præcipit, quæ neceſſaria ſunt, uſque ad finem octaui. Ariſt. teſtimonio id comprobat, qui quatnor priores conſuenit uocare de principijs, cæteros uerò de motu. Horum opinio falſa eſt, & ſummopere Ioa. gram. deceptus eſt, primùm quia ſolum de quinque in libro phyſ. agi crediderit omittens finem & efficientem, de qua re paulo ſupra eum obiurgauimus, multa enim Ariſt. dixit in 2. de fine & tex. 74. oſtendit naturam propter finem operari, quare naturalis munus eſt de eo agere, ad qu'm ſimiliter de efficiente ſpectat loqui, nam qui efficientem negauerit, ſimul materiam & formam tollit, quandoquidem efficiens ex materia formam producit. Dixit etiam Ariſt. eodem libro quòd 2.phyſ.tex
philoſophi naturalis partes ſunt de quatuor cauſarum generibus 27.
tractare. Eſſet etiã diminutus Ariſt. in hac ſciẽtia, reliquiſſet enim de fine & efficiente tractationem. Nec non falſum eſt Ariſt. plura de forma dixiſſe in ſecundo, nam licet de materia in primo pluribus egerit ob eius difficiliorem cognitionem, ut ipſe fuerit primus, cui planè natura materiæ claruerit teſte Auer. non tamen in ſecundo 1.Phyſ.cõ.
plura de forma fuere allata, ſi quidẽ mu'ta de fine & de reliquis cau 2.
arum generibus diſputantur. Poſtremum etiã à ueritate adeo ab

horret

horret, ut eo nihil abſurdius autumare poſſimus, in poſterioribus nempe libris agi de motu, ueluti nos paulo poſt explicabimus.

Opinio Diui Thomæ eiuſque improbatio. Cap. 7.

DIVVS Thom. ut conſtat in initio primi Meteor. cum prioribus diſtribuit vniuerſum opus duas in partes nuncupans vnam de principijs, alteram verò de motu: diſſentit a 1e n ab illis, quippe duos priores de principijs putauerit, quandoquidem de materia & forma & de alijs cauſarum generibus in illis agitur, reliquos autem de motu. Hæc opinio ſicuti & priores, uera non eſt, Ariſtoteliq; aduerſatur, ſiquidem in ſecundo falſum eſt de fine & efficiente haberi diſciplinā. finis n. ultimus & primum efficiēs, de quib. agi in hoc libro eſt neceſſe, Deus eſt benedictus, de quo nec in primo nec in ſecūdo aliquid fuit dictū. Deinde naturā efficiētis ibi declarari exiſtimandum eſt, vbi eius largiuntur prædicata, id facit Ariſt. in octauo, quando de motore primo & immobili loquitur, vt paulo poſt dicemus, ergo non in ſecundo, in quo de fine & efficiente ſolum quid nominis habemus, uerùm qui ſit hic finis vltimus & primum rerum omnium efficiens, ibi non explicatur, ſicuti erat neceſſarium pro eorum perfecta doctrina. Nec ſibi conſtat Diuus Thom. quandoquidem in principio octaui dixit intentionem in eo libro eſſe agere de primo motore, inter multa alia, quæ ab Ariſto. ibi tractari arbitratus eſt. Deinde in reliquis libris non duntaxat de motu ſit ſermo, uerum etiam de loco & tempore, vt ſunt rei naturalis affectiones, de omnibus enim his erat neceſſe agi, ſunt enim corporis naturalis paſſiones, de quibus tractatio ad vnam ſpectat facultatem, quare pars illa non tantùm de motu ſcribenda eſt, ſed etiam de alijs, vt ab Ariſtote. 3. cæli fuerit uocata de tempore.

Propria

Propria opinio. Cap. 1?.

CVM hucusque quid alij ſenſerint, dixerimus, nunc tempus eſt, vt in medio noſtram ponamus opinionem, ſemper Ariſtoteli tanquam ſaxo adhærentes. Aſſentimur grecis totum hoc opus ſecari poſſe duas in partes, vnamq́; dici de principijs, quæ quatuor continetur libris, alteram de motu quatuor alijs voluminibus cõprehenſam, nõ tamen ſicuti Porphyr. & Ioa. gram. ſed duos priores, & duos poſteriores de principijs, reliquos uerò medios de motu, ſiue de affectionibus. Et vt vnicuiq; noſtra perſpecta ſit opinio, nonnulla accipere oportet, vnum eſt, quòd corpus naturale, cuius hìc diximus principia affectionesq́; inquiri, duobus contingit modis cõſiderari, aut dum fit & procreatur, aut dum factum & generatum eſt, & cùm alia ſint, quæ neceſſariò requiruntur, vt fiat; & alia vt conſtitutum ſit; operæpretium erat pro eius perfecta ſcientia utroq; modo conſiderari. Et proinde Ariſt. de eo diſſerens primùm eius principia, vt gignitur, inquirit, cùm id neceſſariò præcedat, deinceps vt actu & abſolutum eſt. Præterea eſt ſciendum quòd licet corporis naturalis, quouis modo intelligatur, quatuor ſint cognoſcenda principia, & quæ interna, & quæ externa nuncupantur, Ariſto. tamen de eo, vt gignitur, in primo phyſ. loquens ea dũtaxat principia docuit, quæ interna ſunt, ſicut in ſecundo de eodem ag...., ut productum eſt, ſimilia tradidit principia: eorum autem, quæ generãtur, ſicuti generationis & cuiuſq; motus, tria ſunt principia intrinſeca, ut etiam Auer. monuit, materia, forma, & priuatio, quorũ 5. Phyſ. cõ. 3.
duo vt termini, alterum verò vt ſubiectum ad generationem requiritur. Eius autem vt factum eſt, duo tantùm ſunt principia, materia & forma, quippe ad rei conſiſtentiam priuatio nihil conducit, quinimo ad corruptionem. Verùm cùm pro ſubiecti perfecta ſcientia omnes cauſas neceſſe ſit cognoſci, Ariſto. in ſeptimo & octauo uenatus eſt extrinſeca principia, eorumq́; protulit prædicata, & quod quid eſt, primamq́; & communiſſimam omnium formam indagauit. Non iniuria igitur quatuor iſti libri de principijs vocantur. Diſputauit de motu & de infinito in tertio, in Quarto de loco, vacuo, & tempore, in Quinto & ſexto ſimiliter de motu, quæ cùm corporis naturalis accidentia ſint, iure de accidentibus libri vocari poſſunt, aut

de motu ſi ab eo, de quo plura dicta ſunt, & ad quod reliqua ferè re
ferri uidentur, velimus accipere nomenclationem. Et vt quæ dixi-
mus clareant, eorum omnium, quæ propoſuimus, rationes ſunt affe-
rendæ. Primum oſtenditur in primo phyſ. agi de principijs rerum na
turalium, vt fiunt, nam tot modis, vt exactè ſciatur, unumquodq; tra
ctandu eſt, quot poteſt conſiderari, cùm autem corpus naturale illis
duob. modis concipiatur, neceſſe erat, & ut fit & vt factum eſt, de
eo diſſeri. Præterea, vt ſæpius diximus, tractandi genus à modo de-
finiendi capitur, hìc verò principia definiuntur, vt corpus naturale
1. Phy. tex. 82. fit, definiens. n. Ariſt. materiã dixit eſſe primum ſubiectũ vnicuiq;
ex quo fit aliquid cum inſit, adiecit, fieri & non eſſe, & loquens de
1. Phy tex. 68. forma ait formam abſentia & præſentia facere mutationem. Pa-
tet igitur materiam & formam fuiſſe definitas, vt fieri & produci
corporis naturalis ſpectant. Dictum eſt etiam eodem diſſerendi mo-
do de priuatione, quę rerum, dum fiunt, tãtum eſt principiũ. Nec his
quoque teſtimonio eſt Ariſt. qui tex. 57. pollicitus eſt principiũ ge-
nerationis ſe venaturum, hoc eſt rerum dum gignuntur, cuius ver-
ba hæc ſunt. ſic igitur nos dicamus primùm de omni generatio
1. Phy. tex. 68. ne aggredientes. & paulo poſt epilogum colligens, ſic inquit. Quot
igitur principia ſint rerum naturalium, quę circa generatio-
nem, & quomodo tot, dictum eſt. ſi quis igitur cuncta Ariſt. uer
ba in primo phyſ. animaduerterit, ſtatim percipiet ſcopum ibi eſſe de
principijs rerum naturalium, ut fiunt. conſtat ſimiliter in ſecundo
agi de cauſis internis naturalis corporis, vt productum & conſtitu
tum eſt, quandoquidem de materia & forma meminit, è quibus ſe-
cundum ſubſtantiam naturale corpus dependet, omittens de priua-
tione ſermonem tanquam nihil conferente ad illius conſiſtentiam,
quod innuit Ariſt. in calce primi libri, vbi inſtituit ſe aggreſſurum
aliud principium ſicuti fecit, cùm de materia, & forma vt rei factę
ſunt principia incœperit loqui: eſt enim aliud principiũ, de quo egit
in ſecundo, ab eo, de quo in primo dictum eſt, cùm illud ſit rei generã
dæ, id verò rei productæ. Additur etiam ꝙ materia & forma ſub
nomine naturæ fuere definitę, quomodo non ſunt principia rei niſi
2. Phy. tex. 10. ut exiſtit. nec definitio materiæ alio modo ſibi competit, quando ſic
dicitur. uno igitur modo natura ſic dicitur, prima vnicuique ſu
biecta materia habentium in ſeipſis motus principium & mut

tionis a

tionis. *Verum quę diximus, non videntur prorſus carere difficultate, tunc enim in primo phyſ. ea ſolùm principia eſſent tradita, quę ortui & interitui ſunt ſubiecta, quod nonnullis recentioribus minime arridet etiam inſequentibus opinionem, nempe de omni corpore naturali communiter diſſeri, eiſdemq́; uijs rei generabilis & æternæ principia inquiri. Pro quo aſtruendo nonnullas attulerunt rationes, prima ex Ariſt. elicitur, qui in initio operis pollicitus eſt rerū omnium naturalium, in quibus numeratur corpus cæleſte, principia docere, quare ſimiliter de ſubſtantia ſempiterna habenda eſt doctrina. Præterea cùm de ſpeciebus alicuius generis analogi tractandū eſt, prius de earum genere loquendum eſt; at corpus naturale, quod de æterno & corruptibili dicitur, eſt analogū, ergo de eo prius erat diſputandum, de eo autem fit ſermo, cùm eius traduntur prædicata communia, vt principia, & accidentia. Deinde in vtroque genere cauſæ deueniendum eſt ad vnam primam cauſam, vt patet 2. metaphy. quare in genere materiæ ſimiliter ad vnam primam erat aſcendendum, quæ nec rei cæleſtis nec rei generabilis ſit prima, ſed vtrique communis, de qua fatendum eſt Ariſto. egiſſe in primo phy. Additur etiam quòd de ea materia dictum eſt, quæ fuit definita, vtriq; autem conuenit definitio de materia tradita, cùm dictum ſit eſſe primum ſubiectum, ex quo fit vnumquodque, nam quamuis cælum ſecundum ſubſtantiam non mutetur, fit tamen ſecundum vbi, & quale. confirmant id, quoniam eiſdem uijs principia corporis cæleſtis poſſumus venari, quibus Ariſto. inuenit principia rei, quę oritur & interit: prima autem via ducitur ex contrarietate, quæ in omni ineſt mutatione, qua ſimiliter cæli materia cognoſcitur, in eo enim reperitur contrarietas penes partes motus, quandoquidem ſol ex contrario ubi in contrarium mutatur, quare ibi materia & ſubiectum extat, quod modò ſub vno conſiſtit vbi, modò ſub alio. Secunda via ex diuiſione accipitur, omnis enim generatio aut ſimplex aut compoſita eſt, in vtraq; debet vnum permanere, quod modò in vnum, interdum in alterum mutetur oppoſitum. id ſimiliter in cælo inueniri oportet, ſiquidem in vbi, ſiue in quale oppoſitum mutatur, mouetur enim ſol ex oriente in occidentem, & de oppoſito in oppoſitum. Quare veluti in generabilibus ex ijs uijs, & his ſimilibus inquiritur materia, conſimili ratione ea, quæ cæli eſt, inuenitur. Præterea non ò*

communioribus incœpiſſet Ariſt. quandoquidem in ſecundo ſimul de cœli principijs locutus eſt, de quibus in primo non fuit dictũ, agitur autem in ſecundo de ea natura, quæ in primo fuit excogitata. Horum autem opinio mihi non ſatisfacit, licet aliquando eam defenderim, aliiſque amplectendam publicè docuerim, nunc uerò in hac ætate grandiori cùm exactius accuratiuſq; perſcrutatus fuerim Ariſt. ſententiam, duxi mutandam fore opinionem, aliterq; quàm ante ſentire: pro veritate enim non modo aliena, uerum etiam propria oppugnare debemus, vt Ariſt. præcepit primo ethic. Quare his ſic primò inſtamus, ea principia, quæ ſunt contraria, Ariſto. venatus eſt in primo phyſ. at cœli principia non ſunt contraria, maior patet tex. 50. ubi cùm illucusq; ſumpſerit principia eſſe contraria, concludit talia debere eſſe principia. Quod igitur contraria oportet eſſe principia, manifeſtũ eſt. *minor ſimiliter ex Ariſt. patet, q 12. Metaph. carpit vetuſtiores omnia ex contrarijs conſtare aſſerẽtes, & Auer. in com. ait antiquos peccaſſe, ſiquidem omnium principia non ſunt contraria, nanque in principijs corporis cœleſtis non reperitur contrarietas, quod idem Ariſto. teſtatus eſt primo cœli ubi ſic ait* Recte uidetur natura id, quod futurũ erat ingenerabile & incorruptubile, exemiſſe à contrariis, in contrariis enim eſt generatio atque corruptio. *Præterea nullo modo materia, quam Ariſto. largitus eſt, inuenitur in corpore cœleſti, quãdoquidẽ ſic ait Ariſt. de æternis ſubſtantijs.* de naturalibus autem, ſed perpetuis ſubſtantiis alia ratio eſt, fortaſsis etenim quædam non habent materiam, aut non talem, ſed ſolùm quæ ſecundum locum mobilis eſt. *eſt enim in generabilibus materia ſecundum ſubſtantiam motui ſubiecta, qua cęlum caret. & paulo infra* Nec omnium materia eſt, ſed quorumcunque generatio & tranſmutatio inuicem ſunt, quęcunque uerò abſque eo quòd tranſmutentur ſunt, aut non, horum materia non eſt *non igitur ſimul utriuſque materia poterat indagari, ſiquidem diuerſas obtinent conditiones, quippe eorum, quæ ortui ſunt obnoxia, materia ſemper adiũctã habet priuationẽ teſte Ariſt. quãdo dixit* Quod oportet ſemper aliquid ſubiici quod fit, & hoc etſi numero eſt unũ, at forma quidem non unum, forma enim dico & ratione idem, non enim idem eſt homini & immuſico eſſe. *fatetur igitur materiam non*

1. Ethic capi. 6.

12. Meta. tex. 53.

1. cœli. tex. 20.

8. Met. tex. 12.

8. Met. tex. 14.

1. Phy. tex. 60.

ſubijci,

ſubijci, niſi cum ipſa priuatione, talem materiam in corpore cæleſti inueniri nemo diceret. nec prorſus vera ſunt, quæ ab eis dicuntur, quòd licet in cælo non ſit contrarietas penes ſubſtantiæ principia, penes ea tamen eſt, quæ accidentis ſunt, ut puta in motu, mouetur enim corpus cæleſte ex vbi contrario in ubi cõtrarium, & merito huius aiunt ſimiliter materiam habere priuationi coniunctam, cùm enim ſol eſt in oriente, eo caret ubi, quod eſt occidẽtale, ad quod etiam eſt in potentia. Hæc, inquam, vera non ſunt. Ariſt. enim eius corporis naturalis pollicitus eſt aſſignare principia, quod ibi pro ſubiecto ſtabilitum eſt, quoniam ſubiecti principia facultas inquirit, illud autem ſubſtantia eſt. quare ſubſtantiæ & non accidentis erãt inueſtiganda principia. at ſecundum eorum ſententiam ea principia de corpore cæleſti erunt tradita, quæ accidentis ſunt, quandoquidẽ in accidente contrarietas ducit in notitiam eius ſubiecti, quod eſt accidentis, ſi enim cælum de contrario vbi in contrarium cietur, neceſſe eſt habeat vnum, quod motui ſubijcitur, quare accidentis & motus erit inuentum ſubiectum: in idem ſimiliter deducimur ex priuatione & potentia in accidente, ut oporteat illius habere ſubiectum, cuius priuationem & potentiam ei aſciuimus. Quare Ariſto. non id tradidiſſet, quod in principio inſtituerat, nimirũ principia ſubſtãtiæ & corporis naturalis docere. Præterea ab ijs peto, cũ Ariſto. dixit id, quod ſubijcitur eſſe unum numero, ratione vero alterum, quod ſubiectum intelligit? de eo quod eſt accidentis loqui non eſt dicendum, licet huius exempla ob rei difficultatem fuerint allata, ab inſtituto enim diſceſſiſſet. quare de eo, quod ſubſtantiæ ortui ſubijcitur, locutum fatemur. Præterea Ariſtote. oſtendens principia non eſſe infinita accipit id, ꝙ in ſubſtantia vna eſt contrarietas, ratio id 1. phyſ. tex. 50.
concedit principia ſubſtantiæ inquiri. & tex. 57. proponens intẽtionem ſe de omni generatione locuturum pollicetur, hoc eſt de principijs eorum quæ generantur, quod etiam epilogus in tex. 68. colligit. Deinde nihil refert ſi cælum in accidentibus gignatur, ſecundum uerò ſubſtantiam ſit æternum, nihil inquã ad nos, qui de principijs ſubſtantiæ facimus ſermonem. His igitur conſtat eos plurimùm deceptos fuiſſe. Nec rationes alicuius ſunt roboris, ſcire tamen oportet, vt prima eijciatur, in hoc cum illis nos conuenire, ꝙ ſcopus Ariſto. quem in principio propoſuerat, ſit de rerum omnium naturaliũ

1. Phy. tex. 57. *principijs, uerum cum Ioa. gram. dicimus, exercuiſſe ſermonem in generabilibus & corruptibilibus perinde ac in apertioribus, ex quibus poſtea facile ad ea, quæ ſunt ingenerabilia, deducimur. fatemur igitur id ab Ariſt. in initio fuiſſe propoſitum, quod ipſi cõfeſſi ſunt, verum propter rei difficultatem de æternis ſermonem deſerens de ijs duntaxat diſputauit, quæ oriuntur & intereunt eorum principia inquirens: cùm enim de his fuerit conſcriptum, rerum æternarũ cauſas licebit inueſtigare, illa tamen omnia pro rerum generabilium principijs inquirendis fuere allata, licet deinde inquiſitioni de corpore cæleſti conducant. Nec id præter philoſophi eſt conſuetudinẽ, quandoquidem in libris poſt. eius erat propoſitum demonſtrationis & definitionis conditiones docere, eas tamen ſolum tradidit, quæ demonſtrationi conueniunt; & Auer. in præfatione reddit rationem, quia ex ijs, quæ demonſtrationis ſunt, poſſumus nãciſci, quę ſunt definitionis. Et in tertio de anima ſimul de humano & diuino intellectu erat loquendum, cùm etiam intelligentiæ cæleſtes, vt ſunt intellectus, tractari debeant a philoſopho naturali, & id in eo libro faciendum erat, tamen Ariſto. ſolùm de eo locutus eſt intellectu, qui animalis eſt corruptibilis, nec ob id fuit diminutus, ex eis enim, quę de illo dicta ſunt, facilè cęleſtes mentes intelligi queunt. Secunda eorum ratio euertitur, inficiamurque ſemper id ſeruaſſe Ariſto. ut prius de analogo diſſerat genere, veluti in ſexta Præfatione explicabimus: nonnunquam enim à ſpecie notiori exordimur, vt in analiticis perſpici poteſt, ubi prius non de ſciendi inſtrumento, quod ad demonſtrationem & definitionem eſt genus, locutus eſt, ſed ſtatim de demõſtratione tanquam de notiori aggreſſus eſt orationem. ſicut in noſtro hic inſtituto dicendum eſt, quòd ſtatim de generabilibus, quæ apertiora ſunt, factus eſt ſermo. Nec nobis alterum obſtat, nã verum eſt eſſe deueniendum ad vnam primam materiam, hac tamẽ re non exiſtit, quæ neutra ſit, & utranq; præ ſe ferat, ſed tantũ intellectu concipietur. Quando autem corruptibilium materia fuerit cognita & ex ea, quæ eſt cæleſtis, tunc ad vnam primam & communem mteriam deferimur. Nec uerum eſt eam definitionem de materia traditam competere ambabus, quoniam cœli ſubſtantia, de qua hic fit ſermo, non generatur, ueluti cùm de forma habetur oratio, ea duntaxat intelligi poteſt, quæ eſt ſubſtantiæ uel ſecundum*

eorum

eorum opinionem aſſerentium de ea loqui Ariſto. in ſecundo libro: ſic cùm de materia diſſeritur, eam, quæ ſubſtātiæ eſt, accipi oportet. Nec illæ viæ ſunt ſatis, ut in materię cognitionem traducamur, quę cęleſtis eſt ſubſtantiæ, ſed pręter eas alia complura noſcere operęprețium eſt, ut clarius aperiemus in commentarijs, quos iamdudum exorſi ſumus. Tempus modò admonet, ut ad illud redeamus, unde noſtra defluxit oratio, cū vnicuiq; ſit perſpectum librum primum & ſecundum eſſe de principijs, nunc ſupereſt, ut hoc idem de ſeptimo & octauo explicemus, quos paulo ſupra libris de principijs adnumerauimus. Quòd ſic primùm oſtendere conamur, neceſſarium eſt confiteri alicubi de prima cauſa efficiente egiſſe Ariſto. alioquin totum illud non abſoluiſſet, quod in principio propoſuerat, communes ſcilicet rerū omnium cauſas tradere, quod in libris phyſ. in quibus de communiſſimis principijs agitur, tractari oportebat, ſed cùm nullibi ante de eo dixerit, fateri cogimur, ſiue nolimus, ſiue velimus, de eo fuiſſe tractatum in duobus poſterioribus. De eo diſſeri doctrina rerum naturalium efflagitabat, tūc enim quodque noſcimus, ait Ariſto. cùm cauſas primas nouerimus, & principia prima, uerum cū in primis & cōibus cauſis primū efficiēs numeretur, neceſſe erat de eo in libro phy. agi. & ꝓinde in initio ſeptimi illud ꝓponit Theorema diſputandū, an oē, quod mouetur, ab aliquo, qđ diuerſum ſit, moueatur, vt ad vnū deueniat mobile, qđ ex ſeipſo mouetur, cuius mouēs ab altero nō moueatur, immobileq; per ſe, & per accidēs ſit, & Auer. ī eo ſeptimo teſtatur in eo libro Ariſt. oſtēdere eſſe primū mobile, & primū motorē. Præterea Simpl. in proœmio illius operis ait principales quęſtiones, quę ibi proponūtur, et diſputātur, et quę illi libro ſunt propriæ, in octauo demonſtrationib. tutiorib. tractātur: cū igitur manifeſtū ſit in octauo de primo motore præcipi, de eodē in ſeptimo diſſeretur, cùm de eadem re, ad idemq; demonſtrandum afferantur rationes. Addidit etiam nonnullis uiſum eſſe hunc ſeptimum eſſe ſuperuacaneum, quandoquidem eadem repetuntur in octauo, ut de Them. ibi inquit Simpl. & Auer. com. 9. Verùm Alexand. ponens diſcrimen inter hunc & octauū dixit in ſeptimo Ariſto. proceſſiſſe per rationes probabiles & dialecticas, in octauo rationibus demonſtratiuis fuiſſe uſum. Ex conſenſu ferè omnium conſtat de eadem re bis duobus libris diſputari. Verùm cùm à materia

1.Phy.tex. 1.

7.Phy.cō. 9.

abiun-

3.Diſp. in ſolu. dubii 18.

*abiunctis forma,finis,& efficiens cõiungãtur teſte Auer.abſq; du-
bio inferre poſſumus in his libris ſimul de prima forma,& poſtremo
fine fuiſſe dictũ,alioquin ſcientia hæc foret imperfecta,non ſeruaſ-
ſetq; Ariſt.quod in principio propoſuerat.ſc.ſ.largiturũ cauſas om
nes & cõmunes,& proprias:prima uerò forma,ultimus finis,et pri
mũ efficiẽs rerũ naturaliũ omniũ ſunt cauſę,ut oĩbus perſpicuũ eſt.
Quare hic cognoſci debebant,ubi de omnibus cauſis,quæ communiſ
ſimę ſunt, agitur.Eſt autem Deus benedictus,cui illa tria accomo-
dantur,de quo cùm in prioribus nihil ſit dictum,fateri oportet hoc
in loco de eo fieri diſputationem.Sed ambigitur, in primo de forma
dictum eſt,ſimiliter & in ſecundo,in quo etiam multa de fine & ef
ficiente habita ſunt. Superuacanea ſunt igitur ea,quæ in octauo re
petuntur.Dicimus,ut paulo ſupra patuit, in primo ſolùm principia,
quæ rerum ſunt , quæ ortum & interitum patiuntur , inueſtigari ,
quare forma ibi declarata nõ ẽ ea,quæ prorſus prima ẽ,qualis ẽ quã
nunc quærimus,& quam Deum uocamus, qui nec generationis eſt
terminus,nec priuationi aduerſatur, ueluti ſe habet quæ ibi inuen-
ta eſt.in octauo autem ea depromitur forma, quæ omnibus cõmunis
eſt,& penitus prima.Quæ uerò ſecundo libro ſub naturæ nomine co
gnita eſt,licet prima ſit,non tamen ut eſt omnium & communiſſima,
tractatur , ſed ſolùm ut ſuo orbi admouetur,ſic enim motus princi-
pium dicitur eius,in quo eſt.nec refert ſi dixerimus in ſecũdo ea prin
cipia tractari,quæ in primo fuere inuenta,quia ex ijs,quæ in primo
pronuntiata ſunt, ponitur cognitio principiorum corporis cæleſtis ,
quare in ſecundo fieri potuit,ut communis utriuſque naturæ defini-
tio traderetur.Verũ quia forma illa cõmuniſſima,quę eſt omniũ for
ma , adhuc exactiori egebat tractatione, non ab re de ea in octauo
multa diſputata ſunt . Dicimus pręterea in ſecũdo nihil fuiſſe dictũ
de ea cauſa,qui eſt ultimus finis & primum efficiens : Deum enim
hanc ſtatuimus cauſam,de quo non fuiſſe ibi diſputatum unicuique
eſt perſpectum,& potius earum cauſarum quid nominis tantùm ha-
beri conſpicuum eſt.Par enim eſſet ratio de forma,& materia,qua-
rum ſimiliter quid nominis præcipitur.Deinceps ibi tractari de fine
& efficiente aſſeuerandum eſt , ubi eorum prædicata quodquid eſt
explicãtia afferuntur,huiuſmodi prædicata in ſecundo non tradun-
tur,quandoquidem id tantùm ibi aperitur, quid nomine cauſæ ma-
teria-*

terialis & reliquarum intelligendum ſit, quod ad quid nominis ſpectat, id autem pro rerum naturalium exacta ſcientia ſatis non eſt, ſed operæpretium eſt quamlibet inquiri cauſam, & cuiuſque tradere quodquid eſt, quod earum explicet ſubſtantiam, quod ex ſecundo nullo modo colligi poteſt. Et proinde Auer. ait in octauo declarari utrum primus motor ſit agens & finis ſimul, aut motor ſecundum finē ſit aliud à motore in eo quod eſt ſecundum agens. In octauo autem Dei benedicti ponuntur prædicata, ut eſt primus finis, prima forma, & primum efficiens, cùm dicitur quòd eſt immobilis per ſe & per accidens, indiuiſibilis, æternus, & à materia ſeparatus, quæ prædicata ſunt, quæ naturam eius aperiunt, quod eſt primum efficiens, ultimus finis, & prima forma. Sed quis dubitaret, hæc Dei naturam tantùm declarant, & non ut eſt finis, & efficiens. Reſpondetur, ꝙ ſi hæc cum ijs, quæ poſita ſunt in ſecundo de cauſis, coniungantur, facilè propriam cuiuſque cauſæ definitionem uenabimur addentes cuique ſuas differentias, & eas quidem ultimas, quas ex definitionib. cauſarum in ſecundo traditis eliciemus, ut hæc ſit primi efficientis definitio, ut ſit immobile, indiuiſibile, æternum, & à magnitudine ſeparatum, principiumq; unde motus omnium, hæc eadem prædicata præter ultimam particulā, quæ efficientis eſt definitio, poterunt formæ & fini accōmodari adiecta ſua cuiuſque cauſæ definitione. Sic igitur erunt habita prædicata, quæ Dei naturam exprimunt & ſecundum eius ſubſtantiam, & ut eſt finis, forma, & efficiens primū. Quare conſtat duos poſtremos libros dici de principijs. Verùm quis adhuc quærere poſſet, cur Ariſt. hos de principijs libros ſeiunxerit? cum Auer. dici poteſt, quòd prædicata primi motoris inueſtigari oportebat motu, eiuſq; æternitate, atque cauſarum definitionibus, quare operæpretium fuit prius de motu, cauſiſq; differi, tam diligens autem motus cognitio pro materia cognoſcenda non requirebatur, iccirco diſputatio de principijs ortum habuit à materia, tanquā etiam ab eo, quod ab omnibus concedebatur: philoſophi enim omnes dari unam primam materiam confeſsi ſunt, nonnullis eorum finem & efficientem auferentibus. Patet igitur totum hoc opus ſecari in partem de principijs, & in eam, quæ eſt de accidentibus, duoſq; priores, & duos poſteriores dici de principijs, cæteros uerò de accidentibus. Et hęc ſufficiant de Diuiſione.

7. Phyſ. cō 9.

3. Phy. cō. 1.

De

De inſcriptione. Cap. 19.

EO, quod ſecundo loco inſtituimus, explicato, ad tertium modò tranſeundum eſt, de inſcriptioneq; loquamur. Ariſt. interpretes diuerſis uarijsque nominibus hoc opus nuncupare conſueuere. dicitur liber de phyſico auditu, de motu, de principijs, de primis ſermonibus, auſcultatorius, & liber phyſicorum. Verùm quare fuerit inſcriptus auditus naturalis, uaria redditur rō Diuus Thom. opinatus eſt ſic fuiſſe nuncupatum, quia per modum doctrinæ traditus eſt ad audientes, ut addiſcentes prius ab Ariſto. audiuerint, quæ hìc ponuntur, literisq; deinde mandauerit Ariſto. quæ prius audita fuiſſent. Hæc autem inſcriptionis ratio mihi non arridet: nam, ut conſtat omnium græcorum teſtimonio ex induſtria hic Ariſt. uſus eſt obſcuritate, ut rudiores deterreret, & ne quę digna ſunt claris & excellenti ingenio uiris, etiam tonſoribus, ut dicitur, eſſent aperta, & proinde ſic ad Alexandrum ſcripſiſſe ferunt libros hos eſſe editos, & nō editos, quibus indicatur ante vulgo fuiſſe traditos, quàm alicui eſſent cognita, quę ibi tractantur. Auer. opinatus eſt dici auditum naturalem, hoc eſt ſermonem naturalem, ut per auditum intelligatur ſermo, dictusq; ſit auditus propter ornatum, qui inuenitur in rebus translatitijs & mutatis, nam cùm accidat ſermonem audiri, loco ſermonis ſumptus eſt auditus. Nec hæc expoſitio mihi placet, primùm quia à re ſatis extranea nomen eſſet acceptū, ut pro ſermone auditum legamus, impropria .n. eſſet locutio præter id quod philoſopho non licet uti nominibus trāslatitijs. Nos igitur aliter dicendum putamus cum græcis expoſitoribus. unum tamen accipere prius oportet, librorum, quos ſcripſiſſe Ariſt. conſtat, duo eſſe genera, unum, quod magis pro vulgaribus exteriſq; eſſet, cum quibus nulla uſus fuerit familiaritates in quo ſolum ea attulit quæ vulgo eſſent magis accōmodata hiſtoricè & dialecticè magis ꝓced ēs, q̄ utens rōnib. demōſtratiuis & exquiſitis, ueluti ſunt, libri hiſtoriarum, & liber problematum, huiuſmodiq; libros exotericos ſolebat uocare. Alterum genus fuit, quod acroamaticum, hoc eſt, auſcultatorium nuncupabatur, in quo eruditiora, & res magis reconditæ tractabantur, & ſubtiliores rationes afferebantur, maiorque inueniebatur obſcuritas, ut non vulgo traderentur, neque ijs,

*qui parū in facultate eſſent exercitati, ſed ſolùm illis, qui claro præ
diti eſſent ingenio, acriq; iudicio, anteq; Ariſt. audiuiſſent, in hoc
genere comprehenduntur omnes libri philoſophiæ naturalis, & Me
taphiſicæ, Moralis, logicæ, & Dialecticæ. Eorum librorum, quos uo
cauimus exotericos, Ariſt. meminit primo cœli, quos uocat uulga-* 1. cœli. te x.
res ſententias, ut ibi Simpl. teſtatur. interdum extrarias diſputa- 100.
tiones nuncupat, ut patet primo ethic. & ſexto, & ſeptimo polit. ſer 1. ethic. ca.
mones externos. Patet igitur quare liber hic dicatur auſculatorius. ult. 6. ethi.
inter eos enim, quibus tale tributum eſt nomen, connumeratur. Con- c. 4.
ſimili ratione inſcribitur de auditu, ita eſt enim elaboratus & diffi- 7. polit. c. 1
*cilis, ut intelligi nequeat niſi ab ijs, à quibus fuerit auditus, & id cō
firmatur eo, quod Ariſt. ſcripſiſſe ad Alex. legitur, qui conqueſtus
fuerat, quòd libros de phyſico auditu ediderit, cupiens magis lite-
ris & rerum obſcurarum cognitione cæteris hominibus præſtare,
quàm diuitijs & rerum magnarum potentia. Ad Alex. hæc Ariſt.
reſcripſit, ſcias Alex. meos libros de phyſico auditu eſſe editos, &
non editos, ab ijs enim tantùm intelligi poterunt, qui nos audierint,
perinde igitur ac ſi nunquā editi fuiſſent: neque uitio id Ariſt. uer-
tatur, ut liuore, maloq; animo id fecerit, gratiaq; occultandi uerita
tem, minime id ſummum philoſophum decebat, in omniq; genere di-
ſciplinæ ſummum magiſtrum, & qui morum præcepta tradiderit, &
rectè beneque uiuendi rationem. magis igitur illud feciſſe putandū
eſt, ut ignauos deterreret, rudioresque, & minimi iudicij homines
ab eorum, quæ digna ſunt claris uiris, lectione reijceret. Conſtat igi
tur, quare liber hic dictus ſit de auditu & auſculatorius. Eſt autem
dubitatio, quia Ariſto. 1. ethic. uocat librum de anima exotericum,
cùm de anima ſermonem ait etiam à ciuili cognoſcendum eſſe.* Dicū
tur autem de ipſa in extrariis etiam diſputationibus nonnulla,
quæ ſatis ſunt, utendumq; ipſis eſt. *quare inter libros externos
eum conſtituit, qui de anima tractat, cùm tamen inter acroamaticos
nos collocauerimus. Nonnulli ſic hanc dubitationem nituntur ſol-
uere, ut p exteros & exotericos ſermones Ariſ. intelligat, qui ſunt
extra illum librum, cùm autem is, qui eſt de anima, alius ſit à libro
ethic. merito uocari poteſt exotericus & externus. iſti autem plu-
rimùm decipiuntur, & cū græcis contendunt de literis græcis. Simp.
enim 1. cœli de ea librorum diuiſione loquitur, quam nos retulimus,*

G ſic

ſic etiam omnes libri in aliena facultate poſſent dici externi, quod uerum non eſt, ſiquidem Ariſt. 7. Polit. ait de optima uita ſe dixiſſe in externis ſermonibus, quos putandum eſt eiuſdem eſſe facultatis cum libris Politicorum. Aliter igitur euertimus dubitationem, q; Ariſt. per ſermones externos non intelligit librum de anima, licet in eo de anima ſit diſputatum, eſt enim maximè elaboratum opus, ſummaque diligentia ordine diſpoſitum, quare liber ille exotericus non pōt dici, ſed magis auſcultaorius: alterū innuit opus, in quo populariter diſſeruerit de anima, ut uerba nobis uidentur ſignificare, cum ait, dicuntur autem de ipſa etiam in extrarijs diſputationibus: adiecit, etiam, ut non ſolum de ea dictum ſit in libro de anima, ſed ēt in externis, dixit etiam, nonnulla, quod de libro de anima non eſt intelligendum, in quo exactè cuncta pertractata ſunt, quæ ad animæ notitiam ſpectant. quare alius ſignificatur liber, & id eſt rationi cō ſonum, cūm de ijs ibi loquatur Ariſto. quæ ad remp. & ad populum attinent, ſic exponendus eſt locus in ſeptimo Polit. ut per externos ſermones non intelligamus librum ethic. Sed magis qui eſt de moribus ad Eudemum. Sed adhuc quis quæreret, dictum eſt libros omnes philoſophiæ naturalis uocari auſcultatorios, cur inter tot ſolus hic acceperit nomen ab auſcultatione? Reſpondetur, nam quæ hìc tractantur, ſatis abdita ſunt à vulgi ſenſuque multitudinis aliena, in nulloque altero maiorem inuenire poſſumus obſcuritatem, i ccirco ei id nomen maximè tribuendum eſt, eumque inter omnes neceſſe fuerit prius fuiſſe auditum, opusque fuerit eum prius auſcultaſſe, qui illum intelligere uoluerint. fuit additum naturale, nam licet & cæteri libri philoſophiæ naturalis dici poſſint naturales, tamen, quia in hoc uirtute comprehenduntur res omnes naturales, quandoquidē rerum omnium principia inquiruntur, ideo nomen totius parti fuit inditum. ob eandem rationem uocatur liber phyſicorum, ſiue rerum naturalium. dicitur etiam de principijs, quia principia hìc tradita omnibus communia ſunt. Vocatur autem de motu, quia de eo multa hìc diſputātur. dicitur de primis ſermonibns 1. cæli tex. 20. eſt enim primus in uniuerſa ſcientia naturali. Et de inſcriptione, deque nominibus, quibus liber hic denominatur, ſatis dictum arbitror.

De Vtilitate. Cap. 20.

VT finem huic primæ præfationi imponamus, id quod poſtre
mo loco propoſuimus, diſcutiamus, quod de utilitate eſt
quę ſit utilitas, oblectatiove animi, quæ ex hoc opere acci
pi queat. Auer. multa. à græcis accipiens expoſitoribus ait utilita-
tem huius diſciplinę partem eſſe eius, quæ eſt uniuerſæ ſcientiæ ſpe-
culatiuæ, cuius hæc eſt pars, ad eundemque referri finem partem &
totam ſcientiam ſpeculatiuam. Quæ uerò ſit utilitas, quam ex illis
adipiſcimur, apertum ſit ab Auer. eſt enim ultima hominis perfe-
ctio, quæ fælicitas, & ſempiterna uita eſt, quę per ſcientias ſpecula
tiuas nobis comparatur. Verùm, ut quæ ab Auer. dicuntur, perſpi-
cua perſpectaque fiant, nonnulla de fęlicitate dicere oportet, eaque
potiſſimùm tria eſſe putauimus, unum, cùm duplex ſit fęlicitas
quæ ſit communis utriuſque definitio. Alterum quę propria. Ter-
tium quomodo in nobis fiat, & producatur. Vt autem à primo exor
diamur. Fęlicitas teſte Ariſt. eſt finis in rebus humanis ultimus, cùm 1.ethic.c.7.
enim in omni hominis actione, ſiue arte, ſiue doctrina, aut electione
operetur, bonum quoddam ſemper expectatur, quod finis habet ra-
tionem, illum aſſeuerandum eſt eſſe fęlicitatem qui præ omnibus eſt
eligendus, nec unius artis ſit proprius, ſed ad eum cęteri omnes, qui
aliarum ſunt facultatum, referantur. Eſt enim finis unus altero me
lior, eūq; optimum putare oportet, qui poſtremus eſt, gratia cuius
reliqui appetuntur, id eſt fęlicitas finis agendarum rerum, & quod
dam perfectum, & ex ſe ſufficiens, quod idem & optimum eſt. Ve-
rum in homine accidit bonum & perfectionem inueniri, ueluti in
cęteris omnibus, quorum aliquod eſt opus, ut in operatione bonum
conſiſtat, quare fælicitas, hominis bonum, in operatione locabitur:
iure ab Ariſto. ſic ea definitur. Eſt operatio animæ per uirtutem in 1.ethic.c.7
uita perfecta. Patuit fęlicitatem in operatione reponi, ſi enim habi
tum eam eſſe dixerimus, fęlicem uocabimus hominem in ęrumnis cō
ſtitutum, in ocioque exiſtentem. Adiecit, animę, ut à corporis opera
tione eam ſecerneret, quandoquidem ſuas corpus obtinet operatio-
nes, in quibus fęlicitas non inuenitur, ut patet 1. ethic. fuit dictum 1.ethic.c.8
ſecundum uirtutem, ne quis in iјs animę operationibus locari exiſti
mauerit, quę cum uitio, aut ſine uirtute fiunt. Additur in uita per-

fecta,ut tempus denotaret lõgum,quod per uitam intelligitur,ſiqui dem uita ſolet ſibi longum tempus adiungere,cui Ariſt. uidetur aſ
1 ethic.c.7 *ſentiri,quando ait* Ver enim neque una hirũdo neque unus dies facit,ita quoq; beatum, & felicem hominem neque unus dies neque breue aliquod tempus efficiet.*licet alterius ſententię ui-*
1.Mag. moral.c.4. *ſus fuerit* 1.*Magn.moral.ut uerè perfectam intelligat uitam,quando ſic ait.* Cum igitur ſit felicitas bonum perfectũ ac finis,nos latere non oportet id in ætate perfecta eſſe,non enim in puero,(quia nec puer dici felix poteſt) ſed uiro,is nanq; perfectus & ne quidem in tempore imperfecto,ſed perfecto.*Simile quid dixit* 1.*ethic.*Eadem etiam de cauſa neque puer felix eſt , non-
1 ethic.c.9. dum enim eſt ad tales res agendas per ætatem idoneus,qui uero dicuntur felices,ſpe dicuntur,nam ſicut diximus , & perfecta uirtute,& uita perfecta opus eſt.*alteram tamen nobis non eripuit expoſitionem.Dici igitur poteſt,ut felicitatem conſequamur, nobis uita & longo tempore opus eſſe,non enim felicis nomen meretur,qui unam duntaxat actionem ſecundum uirtutem exercuerit ſicuti nec una hirundo facit uer.Adiecit uerò perfecta,ut omnium bonorum copiam indicaret, qui enim felitate fruitur , & corporis*
1.ethic.ca. 10. *& fortunę bonis abundare oportet,ut patet* 1.*ethic. Rectè igitur dictum eſt,quòd felicitas eſt operatio animæ ſecundum uirtutem in uita perfecta, quam definitionem communem arbitramur utrique*
7.polit.ca. 13. *felicitati,à qua nec quę 7.Polit.habetur,diſtat.Verùm cùm de communi dixerimus definitione,propriam cuiuſque largiri oportet. Eſt enim duplex felicitas,Actiua ſiue Moralis,& ſpeculatiua:primùm de ea,quæ Actiua uocatur,loquemur,quæ uiagenerationis eam antecellit,quæ contemplatiua nuncupatur teſte Ariſt.7.Polit.ſic au-*
7.polit.ca. 15. *tem definiri poteſt. Eſt operatio animæ habentis rationem in uita perfecta per uirtutes morales.Cuius definitio ut clareat, animad-*
1.ethic.c.5 *uertere oportet tres eſſe uitas,quas ab Ariſto. habemus* 1.*ethico. uoluptuaria,ciuilis,& contemplatiua.De uoluptuaria noſtra non eſt oratio,hanc ijs cognoſcendam relinquimus,qui perinde ac Sardanapalus,uitam traducunt.De duabus igitur reliquis diſſeremus, in quarum una moralem reponimus felicitatem,in altera uerò contemplatiuam.Sciendum eſt etiam,quòd uirtus duplex eſt,ut teſta-*
2.ethic.c.1 *tus eſt Ariſt.* 2. *ethic. intellectiua & moralis,ſunt autem uirtutes*

morales

morales & ex quidem præcipuæ quatuor Iuſtitia, Fortitudo,Tem-
perantia,& Liberalitas.Quinque uerò intellectus habitus uirtutes
uocamus itellectiuas ,de quibus Ariſto. 6. ethic. egit: ſunt autem 6.ethic.c.3
Prudentia,Sapientia,Scientia,Ars,& Principiorum intellectus.
Præterea alterum noſcere oportet primo ethico. duas eſſe anima 1.ethic. c.
partes,unam,quæ rationalis eſt;Alteram irrationalem.Eius uerò, ulti.
quam irrationalem uocauimus,una Plantis ineſt , quæ uegetatiua
nūcupatur.Altera ſenſitiua expers prorſus rōnis cæteris aīalib.in
exiſtēs.Eſt.n.altera irrationalis,quæ particeps eſt rōnis,& homini
propria,quam cogitatiuam Auer.nominat.Ariſtot.eam omittens,
quæ aut plantis,aut cæteris animalibus ineſt,alteram ſic diſtribuit,
ueluti etiam 7.polit.uidere eſt. Rationalis eſt duplex,vna ex ſe- 7.Polit.ca.
ipſa dicta rationalis ſicuti intellectus , altera vocatur rationalis, 14.
quoniam rationi obedit,veluti phantaſia,quam Ariſto.3.de anima 3. De ani-
vocat rationalem,quæ licet ex ſeipſa ratione careat,quam ob cau- ma tex.56.
ſam dicta ſit irrationalis,tamen quia inſequi poteſt rationem, eique
parere,rationalis rationisve particeps dicitur. ſicuti autem in ho-
mine duas conſtituimus animas,ita duas uirtutes,quas illius eſſe ar
bitrandum eſt,& in ea duplici animæ parte inuentas.locamus autē
in parte irrationali & ea quidem obediente rationi virtutes dictas
morales,in altera uerò eas,quas intellectuales nuncupauimus . Cū
autem felicitas actiua virtutibus comparetur moralibus,in eaq; ſit
anima,quæ rationi obedit,merito ſic definitur . Eſt operatio animæ
habentis rationem non ex ſe in vita perfecta per virtutes morales.
Nec ex ijs,quæ protulimus,difficile eſt alterius felicitatis elicere
definitionem . Eſt enim operatio animæ habentis rationem ex ſe in
vita perfecta ſecundum virtutes intellectuales , uerùm non omnes,
ſed ſpeculatiuas:ſunt enim & complures alię virtutes inter intelle-
ctus habitus connumeratæ , quę ad felicitatem contemplatiuam nō
ſpectant,quandoquidem aut ex principiorum habitu, & concluſio-
num acquiritur,aut ex ſapientia,quæ habitus eſt perfectiſſimus, ut
conſtat 10.ethic.attinet enim ad contemplatiuam ſapientia , ut ad 10. Ethic.
actiuam prudentia eodem libro aſſerente Ariſto. Nec alicui mirū cap.7.
ſit,ſi ita utrinſq; tradiderimus definitionem,vt nonnulla communia 10. Ethic. cap.8.
prædicata acceperimus, eaq; illis adiunxerimus,ſic enim fieri opor
tebat,ſiquidem in ſpecierum definitionibus,quæ generis , & uniuer
ſi ſunt,

ſi ſunt, ſumi eſt neceſſe, Cùm quæque definitio genere & differentia conſtet. Nos maximè Ariſtotelem imitati ſumus, qui in primo libro ethicorum prius communem dedit definitionem, poſtea eam traditurus, quæ actiuæ propria eſt, multa de uirtutibus moralibus egit uſque ad ſextum librum, in quo deinde de ijs diſſerit virtutibus, quę intellectui aſcribuntur, vt eam doceret felicitatem, quæ eſt contemplatiua, quare in decimo de hac loquitur inter utranque ponens diſcrimen. Tradita communi, & ſua cuiuſq; definitione, nunc illud eſt perſpiciendum, quomodo eas conſequi liceat: vnum tamen prius ſit omnibus perſpectum, nos de felicitate locuturi eam non intelligimus, quam nos chriſtiani affirmamus & magnopere cupimus, & pro qua comparanda aſſiduè Deo benedicto preces fundimus multis ſupplicibusque uerbis ipſum orantes, & qua frui in futuro ſtatu confidimus gratia Dei benedicti intercedente Baptiſmo, & viua fide, ſed de ea diſputamus, quæ eſt Ariſt. qui alium pręter hunc animæ ſtatum non cognouit, ut proinde 3. ethic. dixerit homini mortuo neque bonum neque malum ineſſe, & alibi mortuum non dicimus felicem. De hac igitur Ariſto. ſententia nunc diſſerimus inſtar Pſittacorum, qui eorum, quæ pronuntiãt, ſunt ignari. Et vt de ea, quam prius acquirendam diximus, loquamur. Hæc virtutibus moralibus comparatur, quandoquidem ſine his bonus & felix dici poteſt nemo, ut Ariſt. reliquit 7. Polit. eſt autem virtus quædam perfectio, ex eaq; opus proueniens perfectum nuncupatur. Verum pro illis acquirendis tria requiri teſtatus eſt Ariſto. naturam, morem, & rationem, ſiue doctrinam. Non parum confert ipſa natura, cùm tale animal procreari à natura fuerit neceſſarium, quod capax ſit rationis, & felicitatis, & proinde 1. ethic. rectè ſic dixit. Merito igitur neq; bouem, neque equum, aut quippiam aliud animal felix appellamus, quippe cùm nullũ ex ipſis talis operationis eſſe particeps poſsit. & licet 2. ethic. dixerit virtutes neq; natura, neque præter naturam nobis ineſſe, idonei tamen ad eas ſuſcipiendas eſſe debemus, ut nihil in aliqua re proficere ualeamus niſi adiuuante natura, qua inuita fruſtra aliquid conamur, facilius enim & promptius operamur ſi ui & impetu noſtræ naturæ impellamur. Plurimũ etiam doctrina adiuuamur, eſt enim neceſſe, ut boni & ſtudioſi efficiamur, quo modo actiones ſint agendæ, cognoſcere teſte Ariſtote.

2. ethic

3. Ethic. capi. 9.
1. Ethic. ca. 4.
7. Polit. capi. 9.
7. Polit. ca. 13. & 15.
2. Ethic. capi. 1.

2.*ethic.quando ſic ait* Quoniam igitur pręſens tractatio non eſt ſpeculationis cauſa,quemadmodum alię, (non enim ſit vt cognoſcamus quid ſit uirtus,ſed ut boni efficiamur, alioquin nulla eius eſſet utilitas)neceſſe eſt ut de actionib. quomodo agendæ ſint,conſideremus *id autem per doctrinam,& libros moraliũ, quorum hæc eſt utilitas,habetur,ignorantia.n.virtutũ & bonarum actionum paßim non rectè operamur,nam ut conſtat* 1. *ethic. vnuſquiſq; ea rectè iudicat,quæ cognoſcit, & hinc fit, ait ibi Ariſto. ut iuuenis auditor ciuilis idoneus eſſe non poßit,quippe cùm imperitus actionum uitæ ſit. Nec nobis obſtat illud ſecundi ethic.intellectiuã uirtutem doctrina,moralem uerò more, hoc eſt aßuetudine, à qua nomen traxit,acquiri. nam quamuis nemo bonus & ſtudioſus dicẽdus ſit,qui id tantùm ſciuerit,quid ſit iuſtitia,& temperantia, neglexerit uerò operationes,vt dixit Ariſto.* 2. *ethic. tamen felicitati & virtutibus comparandis doctrina mirum in modum conducit. Verùm enimuero quo potißimum egemus,mos & aſſuetudo eſt, vt vſu veniat in virtutibus acquirendis,veluti in compluribus artib. in quibus teſte Ariſto.operando diſcimus,quando ſic ait* ſicut enim ædificando ędificatores,cithara canendo citharędi efficiuntur, ita quoq; iuſta agendo iuſti,temperãtia temperantes,fortia fortes euadimus *talis igitur quiſq; eſt,qualis fuerit aſſuetus, nam vt ibidem teſtatur Ariſto.ex ſimilibus operationibus habitus fiunt,& addit non parum referre ſic ne,an ſic ſtatim ab adoleſcentia conſueſcat aliquis. Si igitur in comparandis virtutibus,& in anima exornanda bonis moribus tantã uim habet conſuetudo,caueant illi,quibus cura mandata eſt domus & ciuitatis regenda, vt teneri animi bonis moribus imbuantur. His itaq; conſtat uirtutes natura,doctrina,& aſſuetudine comparari, vt etiam ex aliorum ſententia viſus eſt innuere Ariſt.* 10. *ethic.quando ſic ait.* fieri autem bonos, alii natura,alii conſuetudine,alii doctrina exiſtimant. *Quare is felicitatem adipiſcetur actiuam,ut noſtra oratio,unde diſceßit,reuertatur,qui natura ſit idoneus eam conſequendi,& libros moralis diſciplinæ,in quibus Ariſto.omnia,quæ ad felicitatem attinent,complexus eſt,didicerit aſſuetus ab adoleſcentia bonis moribus,aſſuetudineq; virtutes comparauerit.Cùm hæc de Actiua dixerimus, nũc modum explicabimus,quo contemplatiua gignitur,in qua re ſibi interpretes*

2. Ethic. capi.2.
1. Ethic. capi.3.
2. Ethic. capi.1.
2. Ethic. capi.4.
2. Ethic. capi.1.
10. Ethic. cap.9.

terpretes non cõueniunt. Et vt eorum intelligatur opinio, animaduertere oportet, iuxta eorum opinionem duplicẽ eſſe cognitionem, vnam quam vocant abſtractiuam, alteram intuitiuam: uocatur abſtractiua cognitio, quæ fit per ſpeciem, & per phãtaſmatis abſtractionem, ſiue rei, quæ intelligitur, ſiue alterius ſit phantaſma, ex quo in alterius venimus notitiam. Eſt intuitiua, quæ proximè à re intellecta producitur, & ut dicunt latini, per eſſentias earum rerum, quæ intelliguntur.

9. Metaph. com. ult. Auer. 9. metaph. ait eo tempore comparari felicitatem contemplatiuam, quãdo intellectus euaſerit ſpeculatiuus, Deũque, vt viſus colores, intuitiue inſpexerit: carpit autem Auempacẽ aſſerentem eam cognitionem diſcurſu, & ſyllogiſmo procreari, docet autem productionis modum 3. de anima quandoquidem arbitratur intellectum agentem iungi materiali, idq; fieri per intellecta ſpeculatiua medijs formis imaginatis, à primis enim annis intellectus agens potentia nobis ineſt, potentia eo tempore exiſtentibus in nobis intellectis ſpeculatiuis: eſt autem in actu, cùm hæc in actu inerunt. quotieſcunq; igitur ſic intellectus agens copulatur, intuitiue ſubſtantias immateriales conſpicit, in ultimaq; conſiſtere perfectione dicitur, atque felicitatem contemplatiuam comparaſſe. Nec ſibi contradicit Auer. ſi in præfatione libri phyſ. dixerit per ſcientias ſpeculatiuas hominem poſtremã perfectionẽ adipiſci, voluit. n. intellectum præparari ſcientiis ſpeculatiuis, & pro acquirenda felicitate perinde ac diſpoſitiones eas requiri. Hæc autem opinio licet à compluribus defendatur, recta tamen non eſt. primùm quoniam in intellectu. humano reponi illam cognitionem intuitiuam, à ueritate alienum eſt, ſiquidem ab intelligentijs cæleſtibus longè diſtat, oculosque, quibus eas intueatur, non habet. Nec uerum eſt eas cognoſci per ſuas eſſentias, neceſſarium enim foret eſſentiam, quę intelligitur, in intellectum ingredi, qui intelligit; quandoquidem ſi longum loci interuallum interceſſerit, nihil pro intellectione rei intellectæ eſſentia proderit intelligenti.

3. De anima cõ. 15. Præterea Ariſto. 3. de anima. ait quòd in abiunctis à materia idem eſt quod intellgit, quod intelligitur, & intellectio, ſeparatus eſt à materia intellectus humanus, uisque eſt ſoluta ab omni concretione mortali, quare citra ſuam ſubſtantiam nihil intelliget. Nec nonnullorum ad id ſolutio apud me ſatis pollet, illud in mentibus cæleſtibus, & ijs, quæ prorſus à materia

(Margin: 3. De anima cõ. 36.)

materia ſegregata ſunt, uſu uenire, de intellectu uerò noſtro, cũ ab illis diuerſus ſit, aliter ſentiendum eſt. Hæc inquam iſtorum ſolutio falſa eſt, ſiquidem ibi ab Ariſt. adijcitur ratio quare in libe ris, & ſolutis formis idem ſit intelligens, & quod intelligitur, quoniam formæ ſubſtantia, quæ eſt principium operationis, eſt abſtracta, cùm autem id in humano intellectu reperiatur, alterum ineſſe oportet, operationes enim haud ſecus atque ſubſtantia, ſe habent. Si igitur intellectio, præſertim in ultimo ſtatu, ab altero dependet, intelligibileq́ue aliud ſit ab eo, qui intelligit, de eius ſubſtantia idẽ ſentiendũ erit, ut ex ſe nõ dicatur exiſtere. Deinceps unus operationis modus tribuitur ijs, quæ unius ſunt ſpeciei teſte Ariſt. 1. de gener. animal. intellectus uerò non modò ſpecie unus eſt, uerum etiam numero, quare una ſecundum numerum operatio ei dãda eſt, intuitiuè uerò cognoſcere, & abſtractiuè ſunt operationes inter ſe ſatis diſiunctæ, uniq́ue ſecundum numerum conuenire non poſſunt, tranſmutaretur etiam intellectus in ſubſtantiam ſpecie diuerſam perinde ac eius operatio. Præterea autore Ariſtotele 3. de anima tex. 20. poſt mortem non reminiſcimur, quanquam i tellectus ſit immortalis, propterea quod Phantaſia, ſine qua nihil intellectus intelligit, interitui obnoxia eſt. ſi itaque daretur illa intuitiua cognitio, philoſophi dictum verum non eſſet, interdum enim ſine Phantaſia intellectui liceret intelligere. Deinde Ariſtot. 10. ethic. fælicitatem contemplatiuam in ſapientia reponit, ut ex prudentia fit actiua, ſapientia vero eſt habitus perfectiſſimus ſcientiarum, quippe qui vno amplexu continet principiorum & concluſionum notitiam, vt liquet 6. Ethic. cap. 7. non igitur in intuitiua manebit cognitione fælix intellectus. Reiecta hac Auerr. opinione alia nunc in medium eſt afferenda. Cum Ariſtotele igitur dicamus, quòd cum omnis fælicitas in operatione conſiſtat, ut in communi definitione dictũ eſt, & ut liquet 10. ethic. cap. 6. in contẽplatione uerſari putandũ eſt eam fælicitatem, quam contemplatiuam nominauimus, eſt enim cõtemplatio optimum, & maximè delectabile, ut teſtatum reliquit Ariſt. 12. met. tex. 39. Verùm hæc contemplatio, in qua dicimus fælicitatem conſiſtere, non eſt ea, quæ multis eget, ut producatur, ſicuti eſt præceptoris doctrina, experientia, aſſuetudo & ſenſus; ſed tum ex ſeipſo intellectus omnia cõprehendit, nec à ſenſibus ſuã trahet notitiam, ut fit quando omnia intellexerit, ſingulaq́; factus

1. De gener. animal. cap. 1.

Lib. 10. ethic. cap. 7.

H fuerit,

fuerit, & in ſeipſum rediens progreſſus amplius non eſt; uerũ per ſuam ſubſtantiam uniuerſa cognoſcit, & hæc planè intelligendi ratio intuitiua nuncupanda uidetur, cùm citra abſtractionem ſuam inſpiciens ſubſtantiam omnia cõprehendit, & nihil eſt, quod ipſum effugiat. id quidem iudicio, & Ariſtot. teſtimonio confirmatur,
Libr. 10. ethic. c. 8. *qui 10. ethic. de hac diſſerens fœlicitate eam poſuit in contemplatione nulla adiecta diſtinguendi dictione, nec magis in uniusquàm in alterius ſpeculatione ipſam collocans, & in hac hominem dei ſimillimum eſſe opinatus eſt: Si autem in eiuſdem contemplatione ambo efficerentur beati, eadem, & non ſimilis diceretur fœlicitas. eodem etiam capite, eo uſque fœlicitas ſe ſe extendit, quouſque protenditur contemplatio, vnius itaque contemplatione non coercetur. Verùm hic duas diluere oportet dubitationes, quarum prior eſt, fœlicitas ſibi coniungit maximam uoluptatem, at quænam erit illa delectatio, quæ ex ſpeculatione hauriri poſsit? cui dum incumbimus, multos, varioſque patimur labores, urgemurque multis curis deſerentes prorſus mundi omnes oblectationes, nec nobis ulli curæ eſt tum pecunia, tum rerum copia, quæ cunctis uitæ uſus neceſſarios ſuppeditant, & innumeras uoluptates: qui igitur dicet eum fœlicem, qui omnibus deſpectui eſt, qui hyeme frigore torpet, æſtate calore comburitur, qui perpetuò fame, atque ſiti torquetur? ò philoſophorum uitam miſerrimam, multiſque cruciatam doloribus, & expertem pro ſpeculatione cuiuſq; uoluptatis. Secundò licet hæſitare, ſi duplex eſt fœlicitas, quænã eſt præferenda? Prima euertitur, ſi fœlicitatem uoluptatem eſſe fatebimur, & in cõtẽplatione maximam inueniri delectationem. nemo enim eſt, ſi compos ſit animi, qui exiſtimaret homini nullum eſſe opus, eumque natura ocioſum, quandoquidem cæteris omnibus quæpiam datur actio, factus eſt equus ad curſum, ad arandum boues, canes ad indagandum, natũ ne erit animal diuinũ, & dei ſimile feriatum? quis unquã id affirmare auderet? nemo profectò. ipſi itaq; tribuenda eſt aliqua operatio, non quæ ſibi communis ſit cũ alijs, ut uiuere & ſentire, quæ in alijs licet inuenire, ſed ad contemplandum & agendum quaſi mortalem deũ natum eſſe confitemur: quænam autem nobilior, præſtantiorq́; homini dari potuit operatio ea, qua deo ſimilis efficitur, quã cõtẽplationẽ uocamus? in qua non eam uoluptatẽ, quæ maxima dulcedine ſenſum mouere ſolet, & quæ cũ alijs communis eſt, cõſiſtere putandum*

tandum eſt, ſed hac longe præſtantiorẽ, & iucundiorem, quæ cũ ho
neſtate coniuncta eſt, in quaque enim operatione eſt uoluptas teſte Libr. 10.
Ariſt. 10. ethic. & iucundior eſt ea, quæ fœlicis ſubſequitur opus; ethic. c. 4.
id nanque plenum eſt ſuauitatis & quam maximè diligitur, opera Lib. 1. eth.
tio autẽ uirtutis à ſtudioſo amatur, nec enim bonus dici poſſet, niſi cap. 8.
bonis actionibus delectaretur teſte Ariſt. 1. ethic. & 12. met. dixit 12. Met.
ꝙ actio eſt delectatio, & ob id uigilatio, ſenſus intellectio maxi- tex. 39.
mè delectabile eſt, ſpes autẽ & memoria propter hæc. icc irco fuit
dictũ fœlicitatem eſſe operationẽ, non quidem ꝙ uerè ſit operatio,
ſed ita intelligitur ꝙ ab operatione proueniat; ut eclipſis definitio,
ꝙ ſit interpoſitio terrę, nec enim eclypſis eſt præcisè terræ ipſius
interpoſitio, ſed potius ab interpoſitione efficitur, eſt. n. ut liquet
1. ethic. c. 8. fœlicitas res optima, pulcherrima, & iucundiſſima, &
8. polit. c. 3. non eſt cũ dolore ſed cũ uoluptate. ſi igitur in opera-
tione inuenitur uoluptas, magis in ea ipſam fore eſt ſuſpicandum,
quæ eſt perfectior, qualis eſt contẽplatio, quæ licet nõ ſit ad alios, 7. Politic.
in ſeipſa tamẽ eſt perfecta, ut teſtatus eſt Ariſt. qua identidẽ deus cap. 3. libr.
beatus creditur autore Ariſt. eſt. n. contẽplatio, ut ibidem conſtat, 12. meta. text. 39. &
optimum, & maximè delectabile. Non igitur à fœlicitate contem- 10. ethic.
platiua quæque uoluptas auferenda eſt, ſed ſolum ea, quæ ſine ho cap. 8.
neſtate eſt, ſpecie enim ſeiunguntur uoluptates, ueluti & operatio 10. Ethic. cap. 8.
nes, quas inſequuntur, ut liquet 10. ethic. Quamuis igitur pro hac 10. Ethic.
comparanda fœlicitate multos ſit neceſſe pati dolores, curasq́; prę cap. 5.
ceſſiſſe multas, nec enim ita generati à natura ſimus, vt ad ludum,
& iocum facti eſſe uideamur, quando tamẽ quis eã conſecutus fue 10. Ethic.
rit, maxima fruitur ſuauitate, hic deo cariſſimus eſt, ait Ariſtot. cap. 8.
10. ethic. hunc deus amat, & honorat, hic deo ſimilis eſt, cum
ueluti deus, omnia per ſeipſum intelligat, totus aptus ex ſe ſe, qui
q́ue in ſe uno ſua penit omnia, eamq́ue uitam licet paruo tempore,
ob id quia habitus ſpeculatiui ſunt comparandi, quod non fit niſi
in ſenectute, degit, qualis Deo ſempiterna eſt, ut liquet 12. metap. 12. Meta.
Quis omnes acerbitates, omnes labores, cruciatusq́ue perferre nol tex. 39.
let? ſi hæc tam magnã uoluptatem effectura ſunt, ſi in ſenectute
ocium, & tranquillitatem vitæ ſunt allatura, pręſertim ſi meminc
rimus ea conditione natos eſſe homines, vt eorum vita propoſita
ſit omnibus fortunæ telis. Alacri igitur animo ſpeculationi incum
bendũ eſt, nec pro ea acquirenda vlli labori parcendũ. Nunc ſecũ
nda dubitatio eſt ſoluẽda, ꝙ via originis Actiua nuncupata fęli-

quæ nobilior longè eſt ea, quæ actiua nuncupatur. Preterea ſi facultatum preſtantia ex operatione eſt ſpectanda, ſcientiarum actio contemplatio eſt, quæ nobiliſsima eſt omnium, eique, quæ dei eſt, ſimilis. Attenditur etiam nobilitatis ordo in ſpeculatiuis, Metaphiſica enim cum principaliter deum cõtempletur, ipſique prius intelligentiarum ſpeculatio attribuatur, iurè eius operatio erit nobiliſsima, in eo enim uerſatur, cuius eſt dei actio, deus autem deum cognoſcit, idè patet Ariſt. teſtimonio in procæmio Metaph. & 6. eiuſdem, ubi primam philoſophiam præſtantiſsimam uocat ſcientiam. Secundum ſibi uendicat locum philoſophia uocata naturalis, hęc enim & ſi deum, ut eſt corporis naturalis principium, contempletur, qua ratione & eius operatio nobiliſsima dici poteſt, non adeo tamen principaliter, vt prima philoſophia, ideo inferior eſt ea, præſtantior tamen Mathematicis, quæ nec de Deo, nec de ſubſtantia diſſerunt. Ponitur deinceps ciuilis facultas, quæ licet ſpeculatiuas conſequatur, antecellit tamen cæteras omnes, de felicitate enim, quæ actiua nuncupatur, uerba facit, quæ eſt vltimus hominis finis ut homo eſt. In hac uero plures complectuntur partes, vt quæ de moribus, & virtutibus, quæ de legibus, quæ de Magiſtratibus, & quę de domo. omnes enim unum ſpectant finem, ut puta actiuam felicitatem. Ab Ariſt. uero diuerſis in locis tractatæ ſunt. comprehenditur pars, quæ eſt de moribus, & uirtutibus in decem libris Ethicorum, in quibus ea omnia Ariſt. eſt complexus, quæ ad uirtutes, & felicitatem attinent. merito hæc inter eas primum obtinet locum, & hæc eſt uera pars ciuilis facultatis, reliquę uerò per accidens, & ex aliqua occaſione ad eam redactę. Iuris igitur peritia, quæ de legibus tractat; quamuis ad facultatem ciuilem reducatur, uera tamen, & germana eius pars non eſt, quandoquidem homo ſine legibus ſuum poſſet conſequi finem, ſi uirtutes amplecteretur. illa nanque facultas non eſt cum ciuili, & Politica connumeranda, ſine qua finis ciuilis comparari poteſt, ſine legibus uero poſſumus poſtremum finem, & felicitatem nanciſci, quare maior conſpicua eſt. finis totius facultatis acquiri non poteſt, niſi & quæque pars addiſcatur, minor oſtenditur, ſæpius dictum eſt felicitatem actiuam uirtutibus moralibus comparari, de quibus recte, & luculenter egit Ariſto. in libris ethic. ut uolumine Politicorum, in quo de legibus, & magiſtratibus dictum eſt, non ſit opus. Præterea primarius ciuilis facultatis

E 3   *ſcopus*

ſcopus eſt de felicitate, & de ijs, quę ad eam ſpectant, loqui. at de his Ariſto. diſſeruit in libro ethic. in eo vero, qui eſt politicorum, de legibus, & magiſtratibus, in libro vero œconomicorum de ijs quæ domus ſunt, ergo non de virtutibus, quibus acquiritur felicitas, alioquin duobus in locis de eadem re tractaretur. Nec eſt idem de virtutibus, ſiue felicitate, & de legibus agere, cùm hęc inuicem ſeiungantur. Et vt res clarius pateat, duas ob cauſas potiſſimum excogitatas eſſe leges exploratum habemus, propter imperitiam, & propter hominum prauitatem, non enim adeo facile, perſpectumque erat cognoſci, an rectæ fuerint operationes, quas exercuimus, virtutibuſque accommodatæ, veluti ſi ſecundum leges fuerint. ideo operæpretium fuit hominum inſcitia inueniri leges, quib. doceremur operationes ſecundum virtutes, ne quis propter ignorantiam erraſſe dixerit. ſimiliter ob hominum prauitatem, tale eſt enim ingenium omnium hominum, vt niſi metu, & ui compellamur, rarò, aut nunquam à malis declinamus, leges ſunt, quæ homines cogunt uirtutibus parere, bene, beateque uiuere, ijſque ad felicitatem, poſtremumque hominis finem contendimus. felices tamen dicimur, & boni propter virtutes. Et proinde rectè Ariſt. 5. ethic. dixit leges conferre ijs, qui ſecundum virtutes viuunt, præcipiuntque id opus, quod eſt fortis, & temperantis uiri, & alia iubent, & alia prohibent. & paulo infrà ſic ait lex ſecundum unamquanque virtutem iubet uiuere, ſecundum unumquodque uitium prohibet pro virtutibus igitur leges datæ ſunt ob hominum prauitatem, vt etiam viſus eſt ſignificare 7. polit. quando ſic inquit Ariſt. Veluti circa res iuſtas iudicare, punire, ſupplicio afficere à virtute quidem eſt, ſed ex neceſſitate, commendationemque habet ex compulſione, eligibilius namque foret nullo tali indigere neque hominem, neque ciuitatem His igitur conſtat de legibus, & magiſtratibus facultatem non ueram eſſe ciuilis partem, licet ei conducat. Quæ vero de virtutibus, & felicitate tractat, uera eſt pars neceſſario conferens ad proprium finem, quam maxime principalem, & Architectonicam vocat Ariſto. nec refert ſi de legibus, & magiſtratibus facultatem nominauerit politicam, quæ verè non eſt politica, à multis enim libros inſcribi, uſus recepit, vt iam dudum diximus, inuenimus enim Ariſto. facultatem de uirtutibus vocaſſe politicam, quando primo Rhet. ſic ait. Quod enim antea diximus, verum eſt, nempe Rethoricam

5. ethic. capite. 1.

5. ethic. capite. 2.

7. polit. capite. 13.

1. ethic. capite. 2.

1. Rhet. capite. 4.

cam ex analitica ſcientia,& parte ciuilis facultatis,quæ in mori bus verſatur, eſſe conflatam *& paulo ſupra dixit* itaque fit vt Rethorica ſit propago quædam, & quaſi pullulatio dialecticæ,& facultatis eius, quæ de moribus tractat, quam recte ſcientiam ciuilem appellabimus *nocat igitur facultatem de uirtutibus proprie ciuilem,ſiue politicam.eam verò,quæ eſt de legibus,inſcripſit politicam,ſi quidem eſt pars ad illam, quæ per ſe eſt politica,conferens.Taceant itaque iuriſperiti,qui virtutum,& morum diſciplinam ſibi aſciſcunt ſuam facultatem aſſerentes non modò philoſophiam verùm etiam ſcientiam,id tantùm abeſt à veritate, vt nihil veritati magis poſſit eſſe contrarium.Claruit ex dictis de legibus facultatem complecti ſub diſciplina morali per accidens veramque facultatem ciuilem,& politicam eam eſſe,quæ de moribus, & uirtutibus differit.Ex quibus ſimiliter licet inferre eorum facultatem non eſſe ſcientiam .finis enim ſcientiæ,vt patet 2.met. eſt ſcire,qui verò eſt ciuilis,magis eſt opus vt Ariſto. 2. ethic. ait* Quoniam igitur præſens tractatio non eſt ſpeculationis cauſa, queadmodum aliæ (non enim ſit ut cognoſcamus quid ſit uirtus,ſed ut boni efficiamur,alioqui nulla eius eſſet utilitas *) quare uocāda non erit ſcientia.Datæ ſunt enim leges,ut ſecundū uirtutes operemur.Præterea ſcientia eſt eorū,quæ ſempiterna ſunt, & non poſſunt aliter ſe habere,vt liquet 1.poſt.ciuilis uero de ijs eſt, quæ mutationē,et uarietatem patiuntur,& proinde Ariſt.1.ethi. dixit* Honeſta autem , & iuſta,de quibus ciuilis conſiderat, tantā differentiam,tantumque errorem in ſe habent, vt lege, non natura eſſe uideantur.*& 5.ethic. ſic ait* lex id ſumit, quod vt plurimum fit,non ignorans ſanè quòd peccatùr, & nihilominus tamen recte ſe ſe habet, quippe cum peccatum in lege minime ſit,neque in legiſlatore,ſed in reipſius natura conſiſtat,ſtatim enim rerū agēdarum materia eiuſmodi eſt.*Præterea ſciētia gignitur ex cauſa,quæ in rebus humanis inueniri nō poteſt, quādo quidē cauſæ eorum ſunt,quæ natura conſtant,cōpoſitaque ſunt,Verū iſti in meſſem alienā ponunt falcē,non eſt enim eorū munus quærere an ciuilis facultas ſit ſcientia,cū quæ ad ſcientiam requirūtur, prorſus ignorent.De alia re non diſputant niſi de rebus cōtrahendis,de matrimonijs,& depoſitis,& de eiuſmodi rebus minimis , in quarū tractatione intellectus ferè uilis,& imperfectus redditur. Nec eos iactare oportet,quòd plurimū pecuniæ,opūque uaſtiſsimū*

1.Rhet. capite.2.

2.metaph. tex.3.

2.ethic. capite.2.

1.ethic. capite.3.

5.ethic. capite.10.

mare ex Iureconſultorum libris comparent, verſenturque in ſtudio maximæ laudis, & honoris. Nobilitas enim facultatum non ex lucro, & vtilitate (ut uulgus imperitorum opinatur) ſumenda eſt, ſed ex præſtantiori operatione, aliter ars piſtoria, & coquinaria, quarum uſus magnopere neceſſarius eſt, & ex quibus maximam accipimus utilitatem, facultatibus illuſtrioribus adnumerarentur, quod nemo profectò affirmaret. Homines uerò noſtri ſeculi uſque adeo diuitias diligunt, & uenerantur, vt anteponant iuriſperitiam cæteris omnibus. Verùm cum his certandum non eſt, rerum nobilitatem lucro comparari putantibus, & felicitatem uenalem eſſe. Deploranda ſunt hęc noſtra tempora, in quibus quæſtu & auaritia omnia ſunt deprauata, diuitiæque uitæ, & ſanctitati præferuntur, apud philoſophos plus uera ratio ualeat, quàm uulgi opinio. Regium eſt autem philoſophorum uiuere, qui non modò homini, ſed ne cupiditati ſeruiunt, nec auri, & argenti indigent ſua magnitudine quidque metientes. Sed nunc me reuocabo, unde fluxit oratio, & rem noſtram exequar. Poſt Iuriſperitiam conſtituimus artem Militarem, cuius pars Venato-
1. Polit. capitel. 5: ria eſt teſte Ariſt. 1. Polit. Reip. autem, & felicitati acquirendæ neceſſaria eſt ars Militaris, vt homines inuiti, armiſuè Magiſtra-
7. Polit. capitel. 8. tibus, & legibus cogantur obedire, veluti teſtatur Ariſt. 7. polit. qui ea recenſens, quæ ciuitati neceſſaria ſunt ſic ait, Tertium arma, nam qui ſimul in communione viuunt, neceſſarium eſt ipſis habere arma, quibus & magiſtratibus parere inobedientes compellantur, & quibus vis externa propulſetur. & infe-
7. Polit. capitel. 15. rius inquit bellum quidem ipſum cogit homines eſſe iuſtos ac temperatos Verùm cùm maior armis, quàm legibus inſit vis, mitioraque debeant præcedere, non iniuria facultatem de legibus Militari præpoſuimus, nam ueluti etiam dixit Ariſt. eodem li-
eodem lib. cap. 4. pa. 15. bro. Pax, & ocium bello & negotio eſt præferendum, & paulo infra ait maiora eſſe bona, quæ ex uirtutibus proueniunt, quàm quæ ex bello, & iccirco Lacedæmonios carpit magis rem militarem, quàm uirtutes cæteras inſequentes. Sed cùm Ariſto. de Phyſiognomica diſciplina diſſeruerit, aliquam ſedem obtinere putandum eſt, poſt artem igitur Militarem eam locabimus tanquam minus ad felicitatem conferentem, neceſſaria tamen eſt ciui-
7. Polit. capitul. 2. tati, quandoquidem ſic ait Ariſt. 7. polit. ſtudioſi autem legũ poſitoris eſt conſiderare urbem, ac naturam hominum, & omnem

aliam communionem uitæ laudabilis, quo participent, quantum fieri poteſt, fœlicitatem. *Ex ſignis autem hominum ingenia innoteſcunt, ſignorum autẽ doctrina ex hac habetur facultate, legislatorem etiam animaduertere oportet, quid unicuique portendatur, & qui pro felicitate comparanda ſit eligẽdus, ait enim ſic Ariſto. 7. Polit.* Circa expoſitionem autem uel educationem filiorum lex ſit, nihil orbatum natura fore educandum. *eijciuntur enim è ciuitate, qui ad finem conſequendum non ſunt idonei. Poſt hanc eæ ſequuntur facultates, ex quibus pro fœlicitate acquirenda nõ parum momenti ſumitur, ut Logica, Dialectica, Rethorica, Grãmatica, & Poetica, quarum aliæ methodum tradunt, qua probabiliter ea aſſequi doctrina poßimus, quæ ad felicitatem acquirendam conferunt, ut Rehtorica, & Dialetica. Logica uero inſtrumenta cognoſcendi docet, ſine quibus nec aliquid noſcere liceret. Verùm cùm in ſcientijs & illuſtrioribus facultatibus quouis uti ſermone nõ debeamus ſed eo tantùm, qui orationi magnum afferat ornamentum, ideo fuit inuenta grammatica, quæ rectum loquendi modum traderet. Ariſto. autem 8. Polit. quatuor attulit diſciplinas, quibus iuuenes imbui oportere arbitratus eſt, nempe grammaticam, gymnaſticã muſicam, & figurandi peritiam, laudat uerò Muſicam illam, quæ Dorica nuncupatur, ut patet cap. 7. refert autem cap. 6. ex ueterũ ſententia Mineruam abieciſſe tibias ob oris deformitatem. Tali itaque ordine facultates, quæ ad mores componendos, & animam uirtutibus ornandam conferunt, digerendæ ſunt. Nec aliquis nobis uitio uertat, qui medicam diſciplinam neglеximus, ab ijsq; abſtulerimus, quas felicitati neceſſarias eſſe putauimus. Data eſt enim humano generi medicina propter neceßitatem & corporis ſalutem, ut de ea id dici poßit, quod de Agricultura, & arte faciendorum ſyruporum, quæ etſi neceßariæ ſunt, ueluti & complures aliæ, ciuitati, non in ijs tamen facultatibus numerandæ ſunt, quas proximè ad felicitatem conferre diximus, præſertim, quia Ariſto. 8. Polit. uocat ſordida exercitia, quæ mercenaria ſunt, & ſic ait* itaque & artes illæ, quæ deterius diſponunt corpus, & cuncta mercenaria exercitia, ſordida nũcupamus, mentem enim occupatam, & uilem reddunt. *eſt autem medicina ſordidum exercitium, & paulo poſt adiicit* Sed refert plurimum cuius gratia quis agat, uel diſcat, nam

7. Polit. capi. 16.

8. Polit. capi. 3.

8. Polit. capi. 6.

8. polit. c. 2

ſi gratia ſui, uel amicorum, uel propter uirtutem, non eſt illiberale, qui uero idipſum agit propter alios, ſępe utique uidebitur illiberaliter ac ſordide agere. *nemini dubium ſit, medicos non propter uirtutes oſtiatim aliorũ quęrere ægritudines, ſed magis utilitate & lucro moueri. Præterea Ariſt. I. Poli. quærens cur medicina non eſt pars rei familiaris ſic inquit.* Enimuero dubitaret utiq; aliquis, cur ea diligentia, quæ ad acquirendũ pertinet, pars rei familiaris ſit, medicina non ſit eius pars. Atqui ſanam eſſe familiam oportet quemadmodum & uictum habere, aut aliud quiddam neceſſariorum *perſpicuo igitur fatetur medicinam nõ eſſe partem ciuitatis, eamque cõferre, ueluti & quæ ad alimenta ſpectant. Deinde Auer. in Paraph. de Rep. Platonis his uerbis iudices, & medicos carpit.* Neque certe quidem aut maior aut uerior de affectibus ciuium uitiatis, corruptaque opinione coniectura haberi poteſt, quàm ſi medicis iudicibusque opus ſit, qui ipſi quidem per ſe nulla dignitate aut honore cẽſentur, niſi ob neceſſitatem, quantoq; magis hæ duæ corpori neceſſariæ ſunt artes, quoq; magis floreſcunt illæ & uigent, eò longius ciues abſunt à recto, eſt ergo conſequens ut Reip. huic proprium ſit, neutra iſtarum artium indigere, nec ullum omnino aut medicum aut iudicem poſtulare. *Liquido igitur ex ſententia Platonis è ciuitate eijciendos eſſe medicos cẽſet Auer. Mihi uerò in hac re ignoſcãt medici, meæ eſſent partes eorum artem illuſtrare, pro ueritate tamen etiam propria oppugnare oportet, pluſq; ueritati quàm amicitię tribuendum. Sed ſatis de felicitate dictum opinor, plura autem quàm de reliquis iccirco diximus, quia pulcherrimæ occultęque rei ueritas tam facilè perſuaderi non poteſt, vulgo imperitorum præſertim reclamante ac refragante.*

I. polit. ca. 7.

Paraph. de Rep. Plat. tract. I.

Præfationis primæ finis.

ASCANII COMITII PRAEFATIO SECVNDA, IN LIBRVM DE COELO.

Auctoris inſtitutum proponitur.

CVM ea, quæ ad primam Præfationem, & ad librũ de phyſico auditu attinent, planè & enucleatè perſtrinxerim, in præſentia ad ſecundam præfationem me conferam, in qua ea diſſerere inſtitui, quæ philoſophi peripatetici in libro de cælo præmittere conſueuere, eo ordine progrediens, quo uſus ſum in priori præfatione. Quæ autem hìc diſputare ſolent, quatuor potiſſimùm ſunt, ſcopus ſiue materia operis, ordo, inſcriptio, & diuiſio, in quibus non minor incidit difficultas & interpretum diſcordia, quàm extiterit in paulo ſupra diſputatis. Ideo accurato ſtudio, & quantùm mihi licuerit, expẽdenda ſunt, ut ab oĩ labe eruta ueritas clareat, & unicuique innoteſcat. exordium autem faciemus à ſubiecto & ab auctoris intentione, in cuius diſceptatione ordine nobis cõſueto procedentes prius cum alijs contendemus, antequam noſtram afferamus ſententiam.

Opinio Iamblici, & Magni Syriani. Cap. I.

OMISSIS ijs, quæ præfati ſumus de ſubiecto in principio huius operis, quæ niſi ibi fuiſſent copioſè declarata, locus hic expoſtularet eorum tractationem, ſtatim aggrediemur rem, quam propoſuimus. Primùm opinio Iamblici & magni Syriani ſeſe offert, qui teſte Simpl. arbitrati ſunt ſubiectum in hoc uolumine eſſe corpus cęleſte, quorum ſententia nec rationibus nec

auctoritatibus deſtituta eſt. Oſtēditur primum, id eſt facultatis ſub iectum & materia, ad quod cætera referuntur, cæleſtis corporis gratia omnia tractari dicunt, diſſeritur hìc de elementis, ut ſub illo clauduntur, & ut pro inferiorum generatione impartiunt uirtutem
1.Meteor cap. 2. *quam ab ipſo receperint, conſtat enim 1. Meteor. hunc mundum ſub lunarem ſuperioribus lationibus gubernari. Addit Syrianus agi de elementis aliam ob cauſam, quia multa de corpore cæleſti ex elemen tis dignoſcimus, ut ꝙ nec graue nec leue ſit, alteriusq́ue ab illis ſit naturæ, idq́ue nobis innoteſcet, quando certiores de natura, grauitate, & leuitate eorum fuerimus facti. Pro notitia igitur corporis cæleſtis operæpretium erat prius de elementis loqui, ut ei & pro operatione & pro cognitione conducunt. Quare de his ſermo fit ꝓpter corpus cæleſte. Præterea quæcunque de uniuerſo hìc monſtrari alij aſſerunt, ut quòd ſit perfectum, finitum, unum & æternum, prius & antiquius cœlo competunt, de eoq́ue prius oſtendi erat neceſſe. Quæ igitur in primo & in alijs poſterioribus uoluminibus fuere pertractata, omnia ad cæleſtis corporis cognitionem dirigi cogimur fateri. Deinde operis inſcriptio ſemper à re, quæ conſideratur, et à ſubiecto ſuſcipitur, inſcribitur aūt liber hic de cęlo, de eo igitur eſt primarius ſcopus, & Ariſto. intentio. Hoc idē eo, quod initio primi Meteor. poſitum eſt, confirmatur, ubi ſummatim ea omnia, quę in commentarijs ſuperioribus dicta ſunt, colliguntur, ſimul & id quod in hoc opere, ibi tamen epilogus nihil colligit, quod ſpectat ad hunc librum niſi aſtra & cæleſte corpus. Si igitur de eo diſſeritur in tractatu, quod concluſione complectitur, corpus cæleſte, & non aliud ſtabiliri oportet ſubiectum. Deinde idem patet in exordio & epilogo cuiuſque capitis, in quibus de cœlo proponitur oratio, de eoq́ue epilogus colligitur.*

Improbatio opinionis, rationumq́ue ſolutio. Cap. 2.

HANC iſtorum opinionem Simpl. reijci, tmultisq́ue modis eius leuitatem a[illegible]erit, & primum ait uerū nō eſſe elementa per accidēs tractari ut puta propter corpus cæleſte, quæ enim per ſe in facultate non diſputantur, ſed ex accidenti, obiter, & pauc

pauca de eo pronuntiantur, at multa Ariſto. de elementis in hoc uolumine diſſeruit, ut dimidium totius negocij fuerit de illis. Præterea, ut philoſophus duos poſteriores duobus prioribus libris coniungeret, in initio tertij exordiũ faciens ait ſe dixiſſe de primo elemento, quod eſt cęlum, pollicetur poſtea ſe de reliquis nempe de quatuor elementis acturum. uerba autem ſunt hæc De primo igitur elemẽtorum dictum eſt, & quale quid eſt ſecũdum naturam, & quod incorruptibile, ac ingenerabile. Reliquum eſt autem de duobus dicere, ſimul autem accidet de his dicentibus & de generatione & corruptione conſiderare. *Deinde epilogus initio libri meteor. poſitus non ſolùm quæ dicta ſunt de corpore cæleſti, colligit ſed quę ſunt de elementis diſputata. Quare intentio operis æquè reſpicit utranque conſiderationem. Aduerſus eandem opinionem alijs uti poſſumus rationibus. dictum eſt in prima præfatione, in quolibet ſubiecto duas ſpectari partes, rem conſideratam, & modum conſiderandi, corpus celeſte ſimpliciter prolatum caret altera parte, nõ rectè igitur fuit poſitum ſubiectum. Præterea Ariſt. in ſermone de elementis non ea omnia tractaſſet, quæ ad eorum attinent naturam, multa enim de eis in hac ſcientia per ſe erant cognoſcenda, quæ ſi dixerimus non fuiſſe hic diſputata, imperfectam & diminutam fatebimur Ariſt. tradidiſſe de elementis ſcientiam, quippe oportebat cõſiderari, ut ſunt partes Vniuerſi, atque ſimplicia corpora, & ut motu recto mouentur, & grauitatem & leuitatem habent. Ad hæc cùm in libro de gen. & corr. tractentur, ut ſunt corporis mixti principia debebant igitur prius conſiderari, ut per ſeipſa ſunt, & non ut ad alterum referuntur, quod hic fieri erat neceſſe. Prętereа id per ſe tractari affirmandum eſt, cuius in facultate propria principia & affectiones inquirũtur; hic, ut patet tertio & quarto uolumine, elementorum principia traduntur ut grauitas & leuitas, quæ ibidem definiuntur. explicantur etiam eorum affectiones, ut motus ſurſum & deorſum, ortus, & interitus. Nec rationes aliquod habent momentum. Prima ſoluitur, inficiamur omnia cæleſte ob corpus conſiderari, cõſtitit paulo ſupra elementa per ſe tractari, magisq́ue ad libros de gen. & corr. & Meteor. in quibus de illis diſſeritur, ut compoſitionem mixtorum ingrediuntur, attinet de eis fieri orationem, quatenus uirtutem, quàm à cœlo acceperunt, alijs communicare ualent.*

lent. Nec uerum eſt nobis comparari ex elementis cæleſtis corporis notitiam, ordo enim popoſciſſet prius de elementis diſputari, eorum que tractationem illam, quæ eſt de corpore cæleſti, præcedere. Altera ratio opinionis auctores prorſus decepit, quippe cęlum pars eſt uniuerſi, prędicata, quę utrique competunt, uerius & proprius toti quàm parti conuenire putandum eſt, in principioq́ue operis de uniuer o & non de cælo oſtenditur perfectio, de quo nec unitas, cùm plures ſint cæli, monſtrari poterat. Nec quod de inſcriptione affertur, nobis negocium aliquod faceſſit, à multis enim libri inſcribuntur, nec ſemper à re, quæ pertractatur, licet in hoc eis aſſentiri poſſimus, fateriq́ue à re ſubiecta inſcriptionem fuiſſe factam, quam cælum eſſe non negabimus, ut paulo poſt aperiemus, cùm de nomenclatione loquemur. Quod attinet ad epilogum libri Meteor. dicimus ſatis fuiſſe ſi de nonnullis eorum, quæ hic diſputantur, Ariſt. ibi meminerit, ut librorum ordinem oſtenderet. Additur, quòd nec tantùm de cęleſti corpore epilogum collegit, uerùm etiam elementa complexus eſt, ut patet, quando ait. Adhuc autem de recte diſpoſitis ſecundum ſuperiorem lationē aſtris, & de elementis corporalibus, & quot, & quæ, & de ea, quę adinuicem tranſmutatione. *Quo fit, ut de omnibus fuiſſe intentionē ſuſpicemur. Nec exordium & epilogus cuiusque capitis eorum confirmant opinionem, ſiquidem alio modo intelligi uerba Ariſt. monſtrabimus.*

Simplicij opinio. Cap. 3.

SIMPLICIVS aliam inſecutus eſt opinionem, quippe corpus ſimplex ut ſimplex arbitratus eſt materiam huius operis, ſunt autem corpora ſimplicia quatuor elementa, & cęleſte corpus, quorum primum & nobilius eſt corpus cęleſte, à quo fuit inſcriptum opus, ait de omnibus his tanquam de primis & ſimplicibus fieri ſermonem. Hanc opinionem rationibus & autoritatibus molitur, primùm ordine, quem in rerum naturalium ſcientia ſeruauit Ariſto. de ijs enim poſt librum de Phyſico auditu, in quo de naturalibus principijs fit diſputatio, erat agendum, quę proximè ex principijs naturalibus conſtant, ut ſe haberent ſcientiæ perinde ac res, quæ autem ſtatim ex illis componuntur, ſunt hęc, quæ ſimpli

cia corpora uocauimus. Merito igitur ſimplex corpus ſubiectum eſſe ſtabiliuimus: oſtendit deinde ea ut ſimplicia conſiderari. Ariſto. initio tertij libri uno nomine complexus eſt ea omnia, uocauitq; elementa, exiſtimamus ſic nuncupari quatenus ſimplicia ſunt, quippe cęlum non alia ratione putandum eſt dici elementum, niſi quatenus eſt corpus ſimplex, & non ut ex eo aliquid componitur, ſub ratione igitur ſimplicitatis conſtat hæc corpora tractari. Et confirmatur ratio, quoniam in hoc primo loquitur de cœlo, ut ſimplex eſt, & motu ſimplici mouetur, probatque de eo ſimplicitatem, veluti enim paſſiones tractantur, ita & res, cuius ſunt affectiones, at hìc de motu ſimplicitas oſtenditur, ergo ut ſimplicia corpora illa conſiderantur. Præterea refert idem ex proœmio duorum primorum librorum oſtendi, ubi aſſeritur ſcientiam de natura in corporibus uerſari, quod idem tertij initio repetitur, perinde ac ſi ſcopus Ariſt. ſit agere de primis corporibus, ueluti etiã uiſus eſt innuere, cũ in exordio de corpore de eiusq; perfectione fuerit locutus. Nec intereſt ſi de mundo ſit oſtenſum, quòd ingenitus, incorruptibilis, unus, finitus, & ſphæricus ſit, hæc enim primò cœleſti corpori inexiſtunt, & per ipſum toti mundo. Liquet igitur ex Simplicio totius operis materiam eſſe corpus ſimplex. Alijs rationibus eius opinio poteſt fulciri. ordinem ſecundum naturam Auer. ait in proœmio primi Meteor. Ariſtotelem ſeruaſſe ad librum uſque de animalibus, ergo cùm de corpore naturali in communi in libro præcedenti egiſſet, ordo poſcebat, ut de ſimplicib. corporibus diſſereret, hæc enim proximè ſequuntur corpus naturale. Præterea in cõpluribus libris de corpore mixto locutus eſt, ita erat neceſſe de corpore ſimplici alicubi fieri ſermonem, hæc enim duo, corpus uidelicet ſimplex & mixtum. ſunt primæ naturalis corporis ſpecies, in Vniuerſum uerò nulla corporis naturalis fit diſtributio. Hoc idem confirmatur ex huius operis doctrina, quæ de alio non fit, niſi de cœlo & quatuor elementis, quæ omnia cum ſubiectum eſſe non poßint, quandoquidem unius facultatis unum eſt ſubiectum, operæpretium eſt ad unũ commune conferri, quod aliud non erit niſi corpus ſimplex, nimirum ea ſimplicia ſunt corpora. Deinceps ideſt ſubiectum, cuius partes inquiruntur, conſtat hìc partes corporis ſimplicis tractari. Quare ſimplex corpus ſubiectum eſſe confiteri oportebit.

 Improbatur

Improbatur opinio. Cap. 4.

HAEC Simplicij opinio doctrinam peripateticam non redo
let, facileq; refellitur. Si enim hìc corpus ſimplex eſſet ſu
biectum, perfecta ſcientia de natura non haberetur, fuiſ-
ſet enim relicta nobilior ſpecies naturalis corporis, nempe Vniuer-
1. De cœli. tex. 6. *ſum. Deinde Ariſto. primo de cælo vocat reliqua corpora partes uni*
uerſi & non corporis ſimplicis, ergo non de illis diſſerit, vt ſimplicis
corporis ſunt partes. hæc autem ſunt uerba. ipſum autem omne,
Eodẽ lib. tex. 5. cuius hę partes ſunt, perfectum neceſſe eſt eſſe. *& paulo poſt.*
pollicetur ſe tractaturum de Vniuerſi partibus, ſic autem inquit
De ijs autem, quæ ſecundum ſpeciem ipſius partes ſunt, nunc
dicamus. *illa igitur corpora non redigit ad corpus ſimplex, ut fuiſ*
ſet neceſſarium, ſi id eſſet ſubiectum, ſed ad Vniuerſum. Nec re-
ctè ſenſit opinio, cùm ſimplex putauerit eſſe modum conſiderandi,
vnus enim eſt ſcientiæ conſiderandi modus, qui omnibus, quæ in ea
diſputantur per ſe, competit: poſitum eſt in priori pręfatione modum
ſcientiæ naturalis conſiderandi eſſe ut habet in ſeipſo principiũ mo
tus, qui ſimiliter communis eſt partibus huius ſcientiæ naturalis,
at magnum eſt diſcrimen inter modum conſiderandi, quem huic ope
ri tribuit Simpl. & eum, quem nos protulimus eſſe uniuerſæ ſcien-
1. cęli. tex. 4. *tiæ naturalis. Præterea Ariſto. 1. cæl. definiens corpora ſimplicia*
ait eſſe ea, quæcunque motus principium habent ſecundum naturã,
6. Met. tex. 1. *ſi igitur modus conſiderandi ſimilis eſt definitioni, ut patet 6. Meta*
phy. definiuntur hìc, ut liquet, hæc corpora ſimplicia non ut ſimpli-
cia, ſed ut in ſeipſis habent principium motus. Deinde ſubiectũ cùm
unicuique conſpicuum eſſe expoſcat, in ſcientia non monſtratur, &
id de modo conſiderandi uerius eſt, at Ariſto. in initio huius uolumi
nis oſtendit ex motu ſimplici de cælo ſimplicitatem, illudque corpus
ſimplex eſſe aperit. Additur quod ſi ſimplicitas eſſet modus conſi-
derandi, non alio modo illa tractarentur, niſi ut ſimplicia ſunt: quod
infertur, conſtat, quandoquidem in ſcientia ſub uno conſiderandi
modo res declarantur, id verò eſt abſurdum, multa enim de cælo &
elementis dicuntur, quæ eorum ſimplicitatem non reſpiciunt. Dein-
de modus, ſub quo res tractatur, nõ accipitur ab aliqua affectione,
at ſimplicitas eſt rerum ſimplicium affectio, veluti compoſitarũ mix
tio

tio,& compoſitio,quare pro modo differendi non probè ſumitur. rationes,quas attulimus pro hac opinione,paulo infra ſoluentur.

Alberti cognomine Magni opinio eiusq; improbatio. Cap. 5.

ALBERTVS cognomento Magnus, & complures latinorum non ueriti ſunt à Græcis diſſentire, ut eorum mos eſt,diuerſamq; inſequi opinionem; ſiquidē corpus mobile ad ubi materiā huius operis exiſtimarūt, per corpus mobile ad ubi intelligētes id,quod locali motu mouetur,& ad ubi. Nitūtur rationibus,& Ariſto.teſtimonio confirmare ſuam ſententiam. Nemini dubium eſt,dicunt,ſcientiam de natura de corpore mobili in communi tractare, de eoq; uniuersè in libro de phyſico auditu, ſigillatim verò agi in partibus ſcientiæ,cùm autem hoc opus pars ſit naturalis facultatis & prior, de parte illius corporis,quæ prior eſt, erat neceſſe hìc diſſeri,inter partes autem corporis mobilis ea eſt prior, quæ mobilis eſt ſecundum locum, in primisq; corporibus inuenitur, ſunt aūt prima corpora dicta ſimplicia,quę ad ubi mouētur,de quibus hìc diſputatur. Præterea id in ſcientia ſtabiliēdū eſt ſubiectū,cuius partes tractātur,hìc uerò traditur doctrina cœleſtis corporis et quatuor elementorum,ut motu recto aut circulari mouentur,& vt partes corporis mobilis exiſtunt. Rectè igitur dictum eſt corpus mobile ad ubi eſſe ſubiectum. id progreſſu Ariſto.confirmatur, qui de his corporibus ſimplicibus loquens ea ſolùm tradit,quæ ad eorū localem motum attinent. Exploratum eſt itaque unicuique materiā huius voluminis eſſe corpus mobile ad vbi. Hæc autem opinio recta non eſt,& a ueritate recedit,veluti & cæteræ ferè omnes eorū, & primùm arguuntur, ſiquidem in primis vnum accipiunt, quod falſum eſt ſcientiam ſcilicet naturalem de corpore mobili diſſerere, id enim à veritate abhorret,viſa eſt falſitas huius in priori præfatione. Deinde vt ibi etiam fuit dictum, modus conſiderandi non eſt ab accidente ſumendus,mobilitas verò eſt accidens,quare malè fuit accepta pro ratione formali. Deinceps de eo, quod cum accidente aggregatum eſt,nulla pōt haberi ſcientia,ſic ſe habet ſubiectū conſti

tutũ ab his, vt ex accidenti ſit cõſlatũ: nec ualet eorũ ſolutio, qui de accidente per ſe, & quod cauſas certas & ſtatutas habet, ſcientiã comparari affirmant, licet quod indeterminatum eſt, non poſsit ſciri, non enim cùm de aggregato per accidens loquimur, ſeparatum à ſubiecto illud intelligimus, ſic enim fatemur de eo poſſe acquiri ſciẽtiam, cùm de ſubiecto oſtenditur: verùm tale intelligi volumus, quod ſimul cum ſubiecto ſit ſumptum, de quo eſſet neceſſarium monſtrari affectiones, quæ etſi de ſubiecto, quod citra paſsionem accipitur, mõſtrari poſſunt, de eo tamen, quod ſimul cum paſsione eſt coniunctum, fieri non licet, alioquin paſsio de altera oſtenderetur, quod abeſt à ueritate. Additur, ſcientiam ſubiecto ampliorem, aut ipſum ipſa ſcientia latius eſſe non oportet, ſi eorum opinioni aſſentiremur, ſubiectum ſcientia latius pateret. multa enim ſunt corpora, quæ latione mouentur, vt mixta omnia, de qu bus hìc non diſſeritur, quæ tamen complectuntur ſub corpore mobili ad vbi: complura etiã alia hoc in opere tractantur, quæ contineri ſub eo conſiderandi modo nefas eſſet dicere, vt quòd uniuerſum ſit perfectum, unum, ortus & interitus expers, quòd elementa generentur & corrumpãtur. Nõ enim rationi erat conſonum, ſi ſermo de ſimplicibus corporibus erat faciendus, vt eorum vna tantùm affectio conſideraretur, vt puta motus localis, neglectis cęteris omnibus, quę in eis inueniuntur, eiuſdẽ eſt enim facultatis omnes vnius rei affectiones tractare, & proinde Ariſt. initio tertij proponens tractationem de elemẽtis inſtituit omnes eorum affectiones explicare, eorumq́; generationem & corruptionem, de qua re copioſius dicemus in ea, quæ conſequitur, præfatione. Non poſſum hìc non ſtomachari, ac nonnullorũ inſcitiam mirari, qui vt diuerſas eorum, quas retulimus, opiniones inter ſe conciliarent, quadamq́; ſocietate illarum autores coniungerent, falſa & abſurda ſatis auſi ſunt pronuntiare de ſubiecti ſignificatis, quãdoquidẽ multis modis accipi ſubiectũ opinantur, vt vnũ ſit, quod cõmunitate (vt eorum vtar uerbis) ſiue prædicatione, uel vt alij dicunt, pro genere eorũ, quę in ſcientia conſiderantur, dicitur; id enim de omnibus, quę facultas perſcrutatur, prędicatur: nec non de ſubiecto, quod principale dicitur ſiue attributionis, quod eſt ſpecies principalis illius communis, & generis ſubiecti: ſubiectum ergo pro genere erit ens mobile, ſiue, vt alij, corpus ſimplex, pro principali &

eo,

eo,quod eſt attributionis,cęlum;& ſi addatur vnum,quod eſt aggregationis,erit veluti vniuerſum. Verùm iſti dum alios conciliare inter ſe conantur,Ariſtoteli aduerſantur,eiuſmodi enim ſubiecti diſtributio,quam ipſi imaginati ſunt, non uſurpatur à Peripateticis, ſiquidem unum facultatis ſubiectum fuit deſcriptum ab Ariſtot. 1. poſt.quod principia partes,& affectiones habeat;nec enim in facultate genus ſubiecti tradendum eſt,id enim cùm ſcientiam ſuperet, eiq́; non ſit æquale,ut neceſſario requiritur,nulla de eo habẽda eſt mentio.Neque enim eſt opus,vt aſsignetur genus ſubiecti, cùm id aliquando conſideretur in ſuperiori facultate, ueluti ſe habet ens, quod naturalis corporis quodammodo uidetur genus, & eſt ſubiectum in prima philoſophia.Similiter nec eſt uerum, vt in facultate illud ſubiectum ſit dandum,quod de omnibus prædicetur, id enim interdum tranſcendit diſciplinam,& in ea non poteſt tractari. Additur etiam,quòd ſubiectum ſolùm de ſpeciebus oportet prædicari,nec eſt neceſſe vt de principijs & affectionibus prædicetur, imò ei repugnat,id. n.quod prædicari dicitur,aut eſt ſuperius, aut eſt æquale,principia ſubiecto ſunt priora,quandoquidem ex his cõſtat.Nec ſubiectum de accidentibus prędicatur,ſed contra.Toto cęlo etiam aberrant aſſerentes ſubiectum principale eſſe ſpeciem nobiliorem totius ſubiecti:id enim,quod alterius gratia pertractatur,non principaliter in facultate intenditur & conſideratur, ſpecies uerò ſubiecti merito, veluti & reliqua omnia, tractantur, ergo nulla earum meretur nomen ſubiecti principalis aut attributionis, ſiquidem ei non omnia attribuuntur, ſed magis ea ad alterum refertur vtputa ad totius ſubiectum,ſi autem ſpecies nobilior dicitur ſubiectũ principale,id intelligendum eſt,ſi cum alijs ſpeciebus,quæ uiliores ſunt, conferatur. idem itaque eſt ſubiectum communitate,prædicatione, principalitate & attributione,quod eſt id,cuius in facultate principia,partes,& paſsiones conſiderantur:quòd cùm ſic non ſe habeat corpus mobile ad ubi,merito hæc opinio recta non eſt, falſiſque innititur rationibus,non enim uerum eſt in ſcientia naturali agi de corpore mobili, ut conſtitit in priori Præfatione, neq; enim penes ſpecies motus ſumenda ſunt ſubiecta in ſcientiæ partibus naturalis, ne ex accidentibus reddenda ſit ratio de ſubiecto.falſum eſt etiam hìc de cęleſti corpore tractari quo ad motũ duntaxat localem,& conſi-

mili ratione de quatuor elemẽtis, cùm multa alia de his omnibus ex plicentur, vt paulo poſt admonebimus.

Opinio propria. Cap. 6.

P*AVLO ante aliorum falſas ſententias reiecimus, modò ea adducenda eſt, quam putamus Ariſtotelis, & ut noſtra clareat opinio, duo de ſubiecto uenari oportet, rẽ conſideratam, & differendi modum, quippe his duobus conſtat. Cum Alex. & Theoph. dicimus pro re conſiderata eſſe uniuerſum, quod id intelligimus, quod ex quinq; cõſtat ſimplicibus corporib. quod & Mundũ vocat Alex. tuemur hanc opinionẽ rationib. & autoritatibus. Primũ ad eandẽ attinet facultatẽ agere de genere, de generiſque ſpeciebus ut dixit Ariſt. 4. Metaphyſ. Vniuerſum uerò eſt cor-*
4. Met. tex. 2. *poris naturalis ſpecies, quod ſubiectũ in tota ſciẽtia naturali ſtatuimus, quare uniuerſum in aliqua ſcientiæ parte oportebat tractari, & cum in ijs, qui ſequuntur, libris, & in eo, qui preceſſit, de illo non fuerit diſputatum, aſſerere cogimur hic differi, aliter fuiſſet diminutus Ariſt. Preterea id materiã operis paſſim diximus, cuius partes inquiruntur, hìc uerò de cœlo diſciplina & de quatuor elementis traditur, ut teſtatur Ariſt. initio tertij, cũ ſic ait.* De primo igitur elementorũ dictũ eſt, & quale quid eſt ſecundũ naturam, & quod incorruptibile, & ingenerabile, reliquũ eſt autem de duobus dicere *per primum elementum intelligit cælum, per duo, quatuor elementa, quæ duobus nempe grauitate & leuitate conſtituun-*
1. cęl. tex. 5. *tur, ſunt autem hæc Vniuerſi partes ut patet 1. cæli vbi ſimul inſtituit intentionem de his cùm ait.* De iis autem, quæ ſecundum ſpeciem ipſius partes ſunt, nunc dicamus. *præterea paulo ſupra*
Ibidẽ tex. 4. *Vniuerſum uocat totum, reliqua uero corpora partes,* Vnumquodq; igitur corporum, quæ in partis forma ſunt, ſecundum rationem tale eſt, omnes enim habet dimẽſiones, ſed ad propinquum tactu terminatum eſt, quapropter modo quodam multa corporum vnũquodq; eſt, ipſum autem omne, cuius hę partes ſunt, perfectum neceſſe eſt eſſe. *adijcit deinde ſuã proponens intẽtionem* De ipſius igitur vniuerſi natura, ſiue infinita ſit ſecundũ magnitudinem, ſiue finita ſit ſecundum totam molem, poſterius conſiderandũ eſt. *conſtat de vniuerſo, & eius partibus eſſe.*

inſti-

inſtitutum. Deinde id quiſque ſubiectum eſſe dabit, cuius facultas affectiones contemplatur, hic uerò eius inquiruntur affectiones, quod vniuerſum eſt, ut ex tradita de eo doctrina in primo libro poteſt fieri manifeſtum, in quo de illo complura prædicata oſtenduntur, in primis quòd ſit perfectum, & ſui generis merito, & quia ab alio non continetur: erat ſecundum de eo demonſtrandum quòd ſit finitum magnitudine, & numero, ut propoſuerat tex. 4. Verùm, prius nonnulla oportuit tractari de ſpeciebus ut dixit tex. 5. & præſertim de corpore cœleſti, quòd ſit ſimplex, alteriusq́ue naturæ ab elementis, & expers cuiuſque mutationis præter quàm motus localis ut patuit ad textum uſque 33. in quo ad id reuertitur, quod initio propoſuerat, finitæque quantitatis vniuerſum eſſe oſtendit uſque ad tex. 76. poſita ſimul diſputatione de corporibus ſimplicibus, quibus conſtare diximus vniuerſum, nam ut dixit text. 34. ſi ſimplicia fuerint finita, ſimiliter & compoſitum, quare prius uſque ad 44. de cœlo oſtẽditur finitudo, de alijs uerò uſque ad 54. tandem uſque ad 76. uniuersè deſtruit infinitum. Ariſt. igitur text. 55. cùm abſoluiſſet vniuerſum non eſſe infinitum ſecundum magnitudinem, inſtituit alterum inquirere, an numero ſit infinitum, ubi eius indagat unitatem, & ideo cùm in partibus fuerit monſtratum infinitum non dari, illud idem intelligendum eſt in toto, merito cuius fuit facta diſputatio de illis, & proinde rectè dixit Auer. quòd cũ declaratum ſit quòd partes iſtius mundi ſunt terminatæ numero, & etiam finitæ, declaratum eſt neceſſario, quòd iſte mundus eſt finitus, & iccirco Ariſt. peracta tractatione de infinitate text. 75. colligens epilogum ſic ait. Quòd igitur infinitum non ſit corpus ipſius vniuerſi, ex his manifeſtum eſt. *text. uerò 76. iterum inſtituit ſe inquiſiturum an plures ſint mundi, text. uerò 92. cùm adhuc non abſoluiſſet de mundi unitate & pluralitate contemplationem, proponit ſe inueſtigaturum an ſit æternus, & ſic ait.* Quod autẽ nõ ſolum unus eſt, ſed & impoſsibile eſſe plures, inſuper autem quòd ſempiternus cùm incorruptibilis ſit & ingenerabilis, dicamus, primum dubitatione facta de ipſo. *Eo autem abſoluto, quod de unitate propoſitum erat, text. 101. eandem de æternitate inſtituens intentionem ſic inquit.* His autem determinatis dicamus poſt hæc utrum ſit ingenerabilis, an generabilis

1. cœl. com. 55.

& incorruptibilis, an corruptibilis. Exploratum igitur eſt,
omnia, quæ in primo libro fuere diſputata, vniuerſum ſpectare,
eiuſque gratia de cęlo & de alijs corporibus ſimplicibus fuiſſe tra
ctatum, ut eorum oratio ei, quæ facienda erat de vniuerſo, condu-
cebat. Cum Alex. igitur dici poteſt, primo libro principalem ſer-
monem eſſe de toto mundo, ſecundus uerò de cęlo diſſerit, Tertius,
& Quartus de quatuor elementis. Ab hac opinione Auer. cui plu-
rimum credendum eſt, non recedit, ſiquidem primo cęli aſſeruit hũc
librum de partibus mundi agere, & clarius in paraph. ubi ait Ari-
ſtotelis intentionem eſſe de Mundo, & ſimplicibus primarijſque
eius partibus inquirere, de omni inſuper, quod mundum ipſum par-
3. cęl.cō.1. teſque primarias conſequitur, & 3. cęli ponens diſcrimen inter ele-
mentorum tractationẽ, quæ fuit facta hic; & in lib. de gen. & corr.
inquit hic fuiſſe dictum de elementis, vt uniuerſi partes ſunt, ibi ue
rò ut cauſæ mixtorum. Eãdem ſententiã inſecutus eſt Diuus Thom.
latinorum facilè princeps, licet poſtea (ſententia mea) errauerit,
cùm Alberti opinionem defendi poſſe putauerit. Conſpicuum eſt igi
tur his omnibus, quæ ſit materia & res ſubiecta huius operis. Nũc
àlterum uenari oportet, qui modus ſit conſiderandi, eſt autem hic,
quem in ſubiecto totius ſcientiæ naturalis ſtatuimus, vtputa vt ha
bet in ſeipſo principium motus & quietis, vnus eſt enim conſideran
di modus, qui omnibus ijs, quæ in ſcientia tractantur, eſt communis,
aliter vna non eſſet ſcientia. Præterea ut paſsim diximus, diſpu-
6.Metaph. tex.2. tandi modus à modo definiendi ſumitur ut patet 6. Meta. fuere hic
definita corpora ſimplicia, ut in ſeipſis habent principium motus, ue
1.cęl.tex.7 luti conſtat 1. cęl. cùm dicitur, Dico aũt ſimplicia quidem quæ-
cunque motus principium habent ſecundum naturam. Cum au
tem res à philoſopho naturali aliter non conſiderentur, inferri pla-
nè poteſt, Vniuerſum, ut habet in ſeipſo principium motus, huius uo
luminis eſſe ſubiectũ. Verùm hic non deſunt difficultates, prima eſt
ſubiectum pręter alias conditiones expoſcit partes, ut his uerbis in
1.Poſt tex. 179. dicat Ariſt. 1. poſt. Vna autem ſcientia eſt, quę eſt unius generis
quęcunque ex primis componuntur, & partes ſunt, ant paſsio-
nes horum per ſe. Vniuerſi uerò & mundi partes non aſsignan-
tur, plures enim eſſent mundi, præſertim cùm de eo locuti fuerimus
ſubiecto, quod eſt totius & commune toti facultati. Secunda dubi-
tatio

tatio eſt, id, de quo habetur ſcientia, eſt unum per ſe, quod ab una forma conſiſtit, Vniuerſum cùm ex pluribus actu exiſtentibus conſtet, ex quibus non fit unum per ſe, ut patet 8. met. unum per ſe non erit, quare de eo non poterit haberi ſcientia. Eſt etiam Simplicij cauillatio contra Alex. Si de Vniuerſo hìc traderetur diſciplina, tunc de omnibus eius partibus, eiuſdem eſt enim facultatis de ſubiecto & de eius partibus agere, ſicut patet feciſſe Platonẽ de principijs omnibus & cæleſtibus & de ijs, quæ ſub luna ſunt, loquentem, hìc uerò ſolùm de ſimplicibus corporibus habetur doctrina, de animalibus & de reliquis, quę ſimiliter ſunt Vniuerſi partes, nullum fit uerbum. & dubitationem confirmans Simpl. teſtimonio Nicolai peripatetici ait nullibi Ariſto. propoſuiſſe de mundo loqui, nec uſquam locorum epilogus colligitur de mundo, ut fit de cælo & quatuor elementis. Facile refelli eſt dubitationes nunc allatas, ſi ab ea, quam retulimus, opinione non diſcedamus. Et prima non eſt ſoluenda, ueluti nonnulli opinati ſunt, quòd uniuerſum licet actu unum ſit, potentia tamẽ & aptitudine ei nõ repugnat plura eſſe, & id ſatis eſſe dicũt, ut ſubiectum dicatur habere partes. Horum enim ſolutio recta non eſt, neceſſe enim eſſet interdum eam aptitudinem, ne eſſet ſuperuacanea, ad actum redigi, nam ut patet 1. cæli fruſtra eſt calceamentum, cuius non eſt calceatio & tex. 118. ait Ariſtot. quæ poßibilia ſunt tempore determinata eſſe, ne ſcilicet eorum potentia in infinitum abiret: ſi igitur potẽtia eſt, ut plures ſint mundi, aliquando erũt quod nefas eſt affirmare. Præterea de eodem ſimul poſſent pronuntiari duo contradictoria. ſtatutum eſt. n. ab Ariſt. unum eſſe mundũ huncque ingenerabilem & incorruptibilem, ſi adeſt potentia ad plures mundos, aliquando in actu ponerentur, quandoquidem poßibili poſito in actu, nullum ſequitur impoßibile, licet aliquando falſum, ut patet 8. phyſ. ſimul igitur unus & plures mundi, quod eſt contra Ariſto. ſic 1. cæli dicentem. Quare neque nunc ſunt plures cœli, neque fuerunt, neque contingit fore plures, ſed unum & ſolũ & perfectum eſſe hoc cœlum. *Simul igitur Ariſto. actum & potentiã ad plures mundos aufert. idcirco nos aliter ſoluimus, ꝙ non eſt neceſſe ut ſubiectum habeat partes id. n. intelligitur de ſubiecto uniuerſæ ſcientiæ, quod autem partis nuncupatur, non neceſſario alias requirit partes, aliter daretur in infinitum progreſſus, ut par*

8. Met. tex. 15.

1. cęli. tex. 22.

8. Phy. tex. 36.

1. cęli tex. 98.

tis

tis eſſent partes, ex hoc patet nonnullorum error aſſerentium cęlum & quatuor elementa eſſe partis ſubiecta in hac facultate, quã do enim dicitur ſubiectum habere partes, eas intelligimus, quæ ſub iectiue dicuntur, & quas ſpecies nuncupamus, quomodo non ſe habent illa, quia partes ſecundum ſpeciem à genere accipiunt denominationem, ſunt autem cęlum & elementa partes, ex quibus totum vniuerſum conſtituitur. Secunda ſoluitur dubitatio, confitemur vniuerſum eſſe unum ex unica forma, aliter de eo nulla haberetur ſciẽtia, nec tot prædicata eſſent monſtrata, nec corpus diceretur naturale, hæc autem forma eſt ea, quæ primi mobilis, à qua omnes huius vniuerſi partes accipiunt conſiſtentiam, ab eaque, ut patet 12.
12 met tex. 38. *met. cęlum & natura dependet & proinde rectè Auer. 2. cęli aſſeruit ꝙ totus orbis eſt quaſi unum animal, cuius plures ſunt partes,*
2. cęl. cõ. 42 *cùm ſimiliter mundus elementalis, ueluti & cæleſtis dependeat ab illa communi forma, merito vniuerſum erit unum ex una forma, quam habet. Cauillatio ſimpl. ſoluitur, quòd cætera omnia præter ſimplicia corpora non uerè dicuntur partes vniuerſi, & ut ipſe initio ſecundi fatetur, vniuerſi potius ſunt effectus. Mundus igitur tã quam ex ſuis partibus cęlo & quatuor elementis conſtat, meritò ſolum de his Ariſtot. egit, in hoc ſicuti in compluribus alijs non inſequens Platonem, & falſum eſt nuſquam locorum Ariſto. meminiſſe de Mundo, ueluti ex dictis conſtitit. Similiter facilè rationes quas pro Simplicij opinione adduximus, dilui poſſunt. Concedimus enim hic agi de ſimplicibus corporibus, quæ proximè ex illis conficiuntur principijs, quæ in libro phyſ. diſputata ſunt, de his tamen fit ſermo, ut uniuerſi partes ſunt. Nec eſt neceſſe tractari de eis, ut ſimplicia ſunt, licet nomine elementi fuerint nuncupata, uerè enim ſunt elementa, ut ex eis uniuerſum componitur. nec refert, ſi dictum fuerit ea moueri motu ſimplici, doctrina enim illorum efflagitabat, ut qui eſſet eorum motus, exprimeretur. Reijcitur etiam quod ex proœmio affertur, & aſſentimur Ariſt. de corpore naturali agere, quandoquidem vniuerſum eſt corpus naturale, fuit autem diſputatum dę corporis perfectione in principio, ut vniuerſi perfectio pateret. Falſum eſt autem prius illa prædicata mõſtrari de cęlo, id enim cùm*
1. Poſt tex. 39. *pars ſit vniuerſi, huic primùm ea conuenire exiſtimandum eſt, eſt enim totum, illud uero pars, conſtat enim 1. poſte. quòd ſit error in*

uniuerſali

vniuerſali, ſi quod fuerit totius, monſtretur in parte. Diluuntur & aliæ rationes, iam ſeruauit Ariſt. naturę ordinem cùm egit de vniuerſo, cuius partes ſunt corpora ſimplicia, ut quodãmodo ſimiliter vniuerſum dici poßit ſimplex corpus, quandoquidem ſimplices ſunt eius partes, ex mixtioneque plurium non conſtet. Verùm cùm huiuſmodi ſimplicibus corporibus acciderit ut partes ſint vniuerſi, ut nobiliori tractarentur modo, præſtantiorque fieret hæc doctrina, ſub ratione, qua ſunt partes uniuerſi, de eis diſſeritur. Nec ex his tollitur illa diuiſio corporis naturalis in ſimplex & mixtum, quia iam de ſimplici ſub uniuerſi nomine fuit diſputatum. Concedimus etiam unum debere eſſe ſubiectum, cuius partes inquirãtur, uerùm id eſt vniuerſum, cuius corpora ſimplicia ſunt partes, ut paulo ſupra ſatis abunde fuit explicatũ. Hęc de ſubiecto dixiſſe ſatis fuerit.

De ordine Aliorum opinio. Cap. 7.

NVNC de altero, quod ſecundo loco propoſueram, ſermonem aggrediar, de ordineque diſſeram, quam ſedem inter philoſophiæ naturalis libros opus hoc obtineat. Non admodum eſſet hac in re immorandum, ſtatimq; conquieſcerem, niſi quorundam recentiorum opinio urgeret, ueritatemque labefactaret, quare prius de illorũ ſentẽtia diſputare decreui, vt cùm ad hos inciderimus planè hoſpites nõ uideamur. fuit nõnullorũ opinio locũ eũ ſibi uẽdicare librũ hunc, qui ſcientiæ de aı̃alibus aſcribitur, in ſextaq; ſede conſtitui. Verùm, ut nota & perſpecta ſit eorũ opinio, non nulla iuxta hos animaduertere oportet. Primùm ꝙ vniuerſum, de quo multa diximus ſuperius, eſt animal, duplicique parte conſtat, una, quæ materiam præfert, altera, quæ formam: ſimplicia quinque corpora materiæ uicem gerunt, anima uerò uniuerſalis formam repreſentat: & ueluti accidit ĩ animali mortali, cuius aı̃a ei parti, quæ princeps eſt, præeſt, ut puta cordi, & eo medio reliquis exiſtentiam & uitam præſtat, quæ proprijs diſtinctæ formis non æquè ab ea accipiunt eſſe, aliquę enim ſolùm exiſtentiam cùm ſenſus ſint expertes ut oſſa, nerui & cartilagines. Idem in animali æterno cõſpicitur, nam cùm prima forma primo orbi præſideat, eſſe & uiuere medijs proprijs formis cæteris communicat, pro ut eorum expoſcit natura,

elementa enim uitæ expertia exiſtentiam duntaxat ab ea recipiunt. Totum igitur vniuerſum erit unum animal conſtans ex forma uniuerſali ut ex anima,& ex orbib.cæleſtibus & quatuor elemẽtis perinde ac ex materia.Prçterea dicunt,quòd pro huius animalis cognitione eſt neceſſe utranque partem cognoſci,materiam ſcilicet & formam;nimirum una earum ignorata, perfecta non eſſet eius doctrina.in eodem igitur libro opus eſt de utraq; tractari parte,uerùm cùm de eius anima diſputatum ſit in libro de animalibus, ubi ſimul dictum eſt de anima animalis æterni & corruptibilis, ibi ſimiliter erat differendum de eius materia, ut de eo abſoluta eſſet ſcientia, ueluti factum eſt de animali mortali.Quare cùm in libro hoc agatur de corpore cçleſti & quatuor elementis,quç diximus tenere materiæ locum:rationi eſt conſonum inter libros de Animalibus collocari,ubi de eorum tractatur anima,poſt tractationemque de animalibus corruptibilibus,quç nobis notiora ſunt,reponi. Hanc opinionẽ rationibus & auctoritatibus ſtabiliunt, prima eorum ratio eſt, ad eandem attinet facultatem rei materiam & formam pertractare,ut
2.Phy.tex. 22. *patet 2.phyſ. eſt autem æterni animalis materia cçlum & quatuor elementa,forma uerò eius aĩa, ut paulo ſupra dictum eſt,pars aũt ſcientiæ naturalis,quæ de forma agit, ſimiliter de materia & de toto animali loquetur:at liber de anima,qui pars eſt ſcientiæ de Animalibus,differit de forma & de cœli anima, quare eius munus erit ſimul de materia uerba facere:illa igitur ſedes tribuenda eſt huic libro,quæ hiſtoriæ de anima.Secundo probant,unius intereſt facul-*
4.Met. tex. 2. *tatis de genere de eiusq́ue ſpeciebus agere,ut patet 4.meta.ſcientia de anima animal,quod interit,contemplatur,ergo eadem animal æternũ cogitur conſiderare,quod eſt ſpecies animalis, analogicè.n. de æterno & mortali dicitur aĩal teſte Auerr. in lib. de ſubſtantia orbis.cùm igitur hic de æterno animali fiat diſputatio,ſi quidem de eius materia tractatur,meritò facultas hçc erit pars ſcientiæ de animalibus.Tertio idem oſtenditur,unius eſt facultatis oppoſita conſiderare,ut ait Ariſtot.4. meta.animal çternum & mortale merito*
4.Metaph. tex.4. *oppoſitarum proprietatum,quæ eis competunt, inuicem opponuntur, ineſt enim cçleſti nunquam gigni & nunquam interire,animal uero mortale oritur & interit. uno igitur in loco de utroque diſſeretur.Deinde cùm de ſpeciebus agendum eſt,prius de earum genere*

diſſe-

diſſeritur teſte Auerr. 2. phyſ. quare prius de animali in communi uno in loco tractari oportebat, quod fit in libris de Animalibus. Præterea eadem eſt potentia, quæ aliquorum differentiam & conuenientiam contemplatur, ut conſtat 2. de anima, plura ſunt, in quibus animalia illa conueniunt & differunt, quare in una facultate neceſſe erat tractari. Hoc idem Ariſto. teſtimonio monſtrant, qui 2. cęli loquens de poſitionis differentijs ait ſe dixiſſe de his in libro de progreſſu animalium, liber igitur de cœlo inſequitur facultatem de motu animalium, ſimulq́ue libros de mortali animali. Poſtremo Ariſto. 1. de partibus animal. cùm ſecaſſet animal in ęternum & in id, quod interit, ait ſe dicturum de ęterno poſterius. ergo philoſophus huius fuit opinionis, quòd ſcientia de animali cæleſti inſequatur eam, quæ eſt de mortali.

2. Phy. cõ. 3. 2. cęli tex. 7. 1. de part. animal. ca. 5.

Opinionis improbatio. Cap. 8.

QVANQVAM hęc eorum opinio ſubtilis, uel potius ſpinoſa eſt, ſi ueritatem tamen uelimus ſpectare, facilè infringi poteſt, & primùm arguuntur, quia male acceperint elementa inter partes cęleſtis animalis: quamuis enim conceſſerimus ex his ſimiliter uniuerſum conſtitui, tamen non dicemus partem eſſe æterni animalis: quæ enim ſunt animalis partes, eſt neceſſe, ut uitam participent, aut quæ ſenſus eſt, aut quæ uegetalis animæ, quæ oſſibus & neruis etiam communicatur, cùm nutriantur, elementa uerò cuiuſque uitæ ſunt expertia, nullo igitur modo uocari poterunt animalis partes. Præterea ex his animal conſtituitur, ſine quibus conſiſtere nequit, citra elementa cęleſte corpus, ut animal eſt, nihil prohibet permanere, nõ enim pro ſui conſtitutione eget illis licet neceſſaria ſint pro uniuerſi perfectione, ex ſeipſo enim eſt perfectum, propriamq; habet exiſtentiam ſine elementis, non enim hęc oſſibus & neruis reſpondent, ſiquidem ſine his mortale animal uiuere non poteſt, at cæleſte corpus ex ſe uiuit. Nec rationi erat conſonum, ut æternum egeret corruptibili, eſſetq́ue unum ex corruptibili & æterno compoſitum. Præterea dictum recte non eſt, ideo elementa partem eſſe animalis, quia ab anima mundi exiſtentiam recipiunt medijs proprijs formis, tunc enim non magis hæc illius partes

dicerentur, quàm mixta, quandoquidem oĩa ab uniuerſi aĩa depẽdent, ab eaq́ue tanquam à cauſa uniuerſali exiſtentiam obtinent, quare ſimiliter hæc partes æterni animalis dicerentur. Deinde uerũ nõ eſt in lib. de aĩa diſſeri de aĩa cæleſtis aĩalis, ſolùm n. ibi animalis corruptibilis anima, ut recte Simpl ſentit, fuit definita, ueluti nos in ſexta præfatione dicemus. Præterea ſi liber hic inter eos qui ſunt de animalibus, eſſet locandus, in qua illius ſcientiæ parte conſtituetur? in illis enim libris conſpicuò inuenitur ordo, quem licet uidere in principio, aut fine cuiusque operis, ut alio interprete prẽter quàm Ariſtotele non egeamus, quare hoc uolumen illis inſerere non poterimus. iuxta iſtorum opinionem eſt perſpectum ante eum, qui eſt de partibus animal. non poſſe conſtitui. quandoquidem dixerunt diſciplinam de animali mortali, quia notior eſt, præferri. At poſt de animal. partibus librum proximè ille conſequitur, qui eſt de inceſſu, ut in fine quarti libri de partibus teſtatus eſt Ariſto. cùm ſic ait. Sed de partibus animalium, quam ob cauſam queq; ſint dictum iam eſt per omnia animalium genera, quæ cum explicata ſint, ſequitur, ut de partibus animalium inceſſui deſeruientibus diſſeramus. *Conſequitur librum de inceſſu, qui de anima eſt. ut etiam habetur in fine de inceſſu, quando ſic ait Ariſto.* His autem ſic determinatis, proximum eſt de anima contemplari. *Eſt deinceps liber de ſenſ. & ſenſ. ut initio illius opis his uerbis fatetur Ariſ.* Quoniam de anima ſecundum ſeipſam determinatum eſt prius, & de uirtutum qualibet ſecundum partem ipſius conſequens eſt facere conſiderationem &c. *Conſequitur deinde liber de mem. & rem. ueluti aſſeruit in calce de ſenſ. & ſenſ. quando ſic ait.* De ſenſoriis igitur & ſenſibilibus, quomodo habent & communiter & ſecundum unumquodque ſenſorium, dictum eſt: Reliquorum autem primum conſiderandum de memoria, & reminiſcentia. *Preterea horum librorũ ordo liquidò inuenitur apud Ariſto. in fine de animalium motu, ubi hec habentur.* De partibus igitur uniuſcuiusq; animalium, & de anima, preterea de ſenſu, & memoria, & ſomno, & communi motu diximus cauſas: reliquum autem eſt de generatione dicere. *Et in fine de longitud. & breuit. uitæ ſic ait.* Dictum eſt de longitudine & breuitate uitæ reliquum autem nobis conſiderare de iuuentute & ſenectute,

&

& uita & morte, his enim determinatis finem utique habebit quæ de Animalibus methodus. *Ariſto. igitur cùm ordinem inter libros de animalibus conſtituerit, finem ſcientiæ eorum imponit in libro de morte & uita, ergo poſt hunc alius non conſequitur, quare libro de cœlo nullus dabitur locus inter animalium libros, eumq́ue à libris illis reijci, patet & inter eos non eſſe reponẽdum. Præterea Ariſto. 1. de partibus animal. cap. 5. & eſt locus prauè ab illis allatus, diuidens ſubſtantiam in eam quæ ortus, & interitus expers eſt, & in eã, quę generationis & corruptionis eſt particeps, ait de æternis prius egiſſe, uerba autem ſunt hæc.* Sed cum iam ſatis de illis egerimus, noſtramq́ue explicarimus ſententiam, reſtat, ut de animante natura diſſeramus. *Intelligit, autem per animantem naturam eam, quæ ortui & interitui ſubijcitur. non igitur, ut falsò ipſi dixerunt, diſputatio de corruptibilibus eam, quæ eſt de æternis, præcedit. Hactenus de iſtorum opinione.*

Opinio propria. Cap. 9.

N*VNC propriam afferamus opinionem, cum Ariſt. dicimus & grecis, & Arabibus expoſitoribus huic libro ſecũdam ſedem in philoſophia naturali deberi, poſt librumq́; de phyſico auditu collocari. Et ut noſtra opinio eluceat, noſcere oportet, ut ẽt in priori p̃fatione diximus, vniuerſam de natura ſcientiã in duas ſcindi partes, in unam, quæ communia rimatur, in alteram, quæ propria cuiuſque indagat de phyſico auditu opus de communibus, ut de principijs & accidentibus, ſermonem facit, & ob doctrinæ ordinem ſecundum neceſſarium cæteros philoſophiæ naturalis libros pręcedit. Sequitur deinceps pars, quæ de proprijs diſſerit, in multos diuiſa tractatus, omnibus tamen præferenda ea ẽſt, quam præ manibus habemus, in qua Ariſt. de cælo & elementis diſputat. Et huius cauſa non una eſt. Primùm gratia nobilitatis, tractatur enim hic de uniuerſo, de cuius perfectione multa in initio dicta ſunt. Præterea, illuſtris ẽ hæc doctrina, quia de æternis loquitur. ordine ẽt neceſſario liber hic p̃fertur, ſiquidẽ ſimpliciora præcedũt ea, quę minus ſimplicia ſunt. Simul ẽt de cauſis cõtẽplatio eã antecellit, quæ de cõpoſitis extat. Erat etiam id opus hic conſtituẽdus doctrinæ ordine ſecundum*

cundum notius, quandoquidem in octauo phyſ. de eo, quod circulari motu cietur, multa dicta ſunt, de cælo ve propter ipſum motorem multa fuere poſita. Quadam igitur ſocietate liber hic erat illi coniungendus, eiq́ue adhęrere oportebat. Anteponitur autem libro de gener. & corr. ſiquidem conſideratio abſoluta reſpectiuã prę cedit, hìc elementa tractantur in ſeipſis, & ut partes uniuerſi ſunt, in eo uerò libro ut mixtorum ſunt principia, quæ magis denotat collationem. Deinde huius operis ſubiectũ ſimplicius eſt eo, quod in eo uolumine eſt, cum hic ſit Vniuerſum, quod eſt corpus Simplex, ibi uerò corpus mixtum. Simplicia uerò compoſitis præferuntur. Deinde Ariſt. 2. de gen. & corr. ait ſe prius determinaſſe, quomodo elementis ex ſeinuicem ineſt generatio, & intelligit tertium de cælo, quia nullibi prius Ariſto. locutus eſt de mutua elementorum generatione niſi ibi. Conſtat igitur facultatem hanc præcedere librum de gen. & corr. huncq́; ordinem ei tribuiſſe Ariſto. Hoc idem moliri poſſumus epilogo, quem Ariſt. libro Meteor. præpoſuit, in quo breuiter colligit, quæ dixerat illucuſque, cùm repetijſſet in libro de phyſico auditu, infert, adhuc autem dictum eſt prius de rectè diſpoſitis ſecundum ſuperiorem lationem aſtris, & de elementis corporalibus, & quot, & quæ, his autem uerbis innuit librũ de cælo, in quo de cælo & elementis diſſeruit. Nec dicendum eſt, ut ipſi putarunt, quòd quando meminit de aſtris octauum phyſ. intelligat, nõ enim ad illum librum agere ſpectat de mobili primo, veluti de primo motore, ſolùm enim ibi enarrantur cauſæ, quæ uniuerſales ſunt, in quibus cælum non numeratur, quandoquidem cauſam habet priorem, & proinde Ariſto. 1. de gen. & corr. diſtinguens cauſam mouentem in eam quę immobilis eſt, & in eam quæ ſemper mouetur, ait de immobili in phyſicis dixiſſe, de mobili verò pollicetur poſterius ſe locuturum. Decipiuntur etiam dum aſſerunt intelligi librum de gen. & corr. quando de elementis fit mentio, de eorum enim generatione locutus eſt Ariſt. in 3. cæli, ut in ſequenti Præfatione conſtabit. Deinde 1. de partibus fatetur Ariſtotel. vt quoque locum hunc paulo ante recenſuimus, ſe de ſubſtantijs prius egiſſe, quare intelligit uolumen hoc, ſi quidem ante de eis dictum non eſt, niſi hìc: quæ enim in phyſicis de illis diſputata ſunt ad alterum diriguntur, nempe ad primum motorem, & earum non eſt propria oratio. Hac itaque in parte

2. de gē. & corr. tex. 24.

1. de gen. & corr. tex. 14

parte conſtitui oportebat librum hunc, in prioriq; eius parte de cælo tractari, vt libro phyſicorum cõiungeretur, in poſteriori uerò de elementis, ut operi de gen. & corr. adhęreret.

Aduerſariorum rationes euertuntur. Cap. 10.

NON admodum difficile eſt rationes aduerſariæ opinionis diluere, & primùm dicimus eorum aſſumptum eſſe falſum, in libro de anima agi de animalis æterni anima: licet enim eo libro nos de cæleſtis animalis anima certiores fiamus, uniuerſa tamen tractatio illa animæ mortalis animalis accõmodatur, ut ibi dicemus. Verùm nunc eorum opinioni ſubſcribamus, fateamurque etiam de cęli anima diſputari, non tamen librum hunc inter eos, qui ſunt de animalibus, cogimur conſtituere, ſæpe enim ab Ariſto. alibi explicata admittũtur alio in loco, veluti Auer. in proęmio lib. poſt. ait de definitione, de cuius cõditionibus Ariſt. erat in ſecundo poſt. locuturus, earum verò doctrina fuit ibi prætermiſſa, quia in primo de Demonſtratione agens ſimul explicuit ea, quæ ad definitionẽ ſpectabant. ita nos dicimus, quòd cùm de cælo, ut pars eſt Vniuerſi, cogeretur loqui, ea omnia pertractauit de eo, quæ ad eius naturam neceſſariò cõferebant, ut nihil alterum deſideretur, quod ad illius materiæ attineat diſciplinam: fuit neceſſariũ hìc de eo diſputari, quia corporis naturalis prima ſpecies eſt vniuerſum, cuius potior pars eſt cælum, quare prius agendũ erat de cælo, ut vniuerſi pars eſt, quàm ut eſt materia æterni animalis. ſecunda ratio nen magis librum de cælo libris animalium adnumerari cogit, quàm librum de anima reponi hìc, ſi ubi de materia diſſeritur, ibidem de forma tractandum eſt, cùm hic de materia fiat ſermo, ergo & de forma animave erat diſputandum. Dicimus quoque ad rationem, quòd quamuis vna ſit facultas, quę de genere & ſpecie loqui tenetur, ob aliquam tamen occaſionem tractatio alicuius ſpeciei deſeritur. ueluti de ſyllogiſmo Topico dici poteſt, cuius regulę in logica tradendę erant, quas tamen Dialectica docuit. ſimiliter definitionis conditiones cognoſcendæ erant ex libro poſt. earum tamen tractatio fuit omiſſa, licet ex alijs innote-

innoteſcant. Nos igitur dicimus Ariſto. ſolùm de animali corruptibili fuiſſe locutum, cuius & materiam & formam explanauit, reliquiſſe uerò de anima cœli ſermonem, quandoquidem hæc ex ijs facilè cognoſci poterat, quę de intellectu mortalis animalis erat dicturus: altera uerò pars, quæ materiæ uicem gerit, hìc explicatur, cùm de eo fuit factus ſermo, vt Vniuerſi pars eſt. Tertia ratio ſimiliter diluitur, ut aliquam ob cauſam cogamur interdum à tali differendi genere diſcedere, ut unum duntaxat oppoſitũ pertractemus, ex quo deinde alterum innoteſcit. Ad alterum reſpondetur, quòd non ſemper idem doctrinæ ordo ſeruatur, crebrò.n. Ariſt. prius loquitur de ſpecie aut notiori aut præſtantiori communem diſputationem omittens, veluti in analiticis, in quibus prius non egit de ſciendi inſtrumento, quod eſt ibi uniuerſum ſubiectum, ſed ſtatim de demonſtratione tractationem aggreſſus eſt. Conſimili ratione in libris de Animal. non prius diſſeruit de corpore animato, quod plantarum & animalium eſt genus. Hæc igitur eorum ratio, cui plurimum innitũtur, multas patitur dubitationes & eas quidem, quæ ſolui non poſſunt. Soluitur & altera ratio, quæ falſo inhæret fundamẽto, ꝙ ibi Ariſt. loquitur de animæ potentijs cognoſcentibus, ſiquidẽ quæ albedinis & nigredinis diſcrimen & conuenientiam dignoſcit, vna huiuſmodi profectò eſt potentia. Ad id, quod ex Ariſto. ſecundo cęli affertur, dicimus ꝙ non eſt præter eius conſuetudinem nonnullos uocare locos, qui in libris poſterioribus inueniuntur, ſicuti initio libri periherm. conſtat, ubi cùm in ſermonem de animę paßionibus incidiſſet ait ſe de ijs dixiſſe in libro de anima, & cap. 4. loquens de locis ſophiſticis ait de his fuiſſe locutum in libro elench. & in libro de ſenſ. & ſenſ. cap. 4. cùm de nutrimento diſputaret inquit ſe uelle de eo agere in libro de gen. & corr. Nemini igitur mirum ſit, ſi ita in ſecundo cœli locutus fuerit, cùm alibi vſus ſit eodem dicendi modo. cauſa potuit eſſe, vt prius ruditer & impolitè Ariſto libros, quos editurus erat, compoſuerit, deinde priores expolire cœperit multa citans ex libris, quos erat emendaturus, quæ in illis impolitè dixerat. Ad locum ex primo de partibus allatum non eſt neceſſe, reſpõdeamus, prauè enim, vt notauimus, adductus eſt, & oppoſitum ibi inuenitur. Noſtra itaque opinio uera eſt.

De in-

De inſcriptione. Cap. 11.

De Inſcriptione nunc diſſerere oportet, quove nomine opus hoc nominetur, greci omnes conueniunt, vnico nomine quippe de cœlo librum hunc fuiſſe nuncupatum, in ratione verò inſcriptionis reddenda ſunt diſcordes. Iamblicus, & Syrianus, qui de cœlo tantùm, corporeq; æthereo intentionē eſſe putarũt, à ſubiecto nomenclationē fuiſſe factā arbitrati ſunt. Verũ iſtorum opinio de operis materia fuit à nobis paulo ante reiecta. Deinceps non duntaxat de cęlo, ſed etiam de mundo duplici hac inſcriptione nuncupatum fuiſſe inuenimus. Simpl. qui ſubiectum corpus ſimplex cęlum, & elementa continens opinatus eſt, dixit à principali parte fuiſſe nominatum, eſt autem corporis ſimplicis primaria pars cęleſte corpus. Hęc Simplicij expoſitio exploditur, ſolùm.n. particulam inſcriptionis explicat, cùm & de altera eſſet reddenda ratio. Præterea uerum non eſt, vt paulo ante oſtendimus, corpus ſimplex, vt ipſe imaginatus eſt, ſubiectum conſtitui. Alij ex latinis utriuſque inſcriptionis rationem reddentes aiunt per cælum intelligi cæleſte corpus, per mundum verò eum, qui elementarius nuncupatur, de cæleſti enim & elementario mundo hic fit diſputatio, uſus enim recepit globum elementarium vocari mundum, vt patet 1. meteor. cùm dicitur mundum hunc inferiorem eſſe contiguum ſuperioribus lationibus. 1. Meteor. cap. 2. *Verùm iſtorum expoſitio mihi non placet, nam tametſi ibi Ariſto. per mundum intellexerit hunc, qui eſt elementarius, adiecit tamen, inferiorem, ut cùm hac adiectione intelligatur, quando uerò ſimpliciter profertur, nunquam auditum eſt ſignificare elementarium. in Alexandri interpretatione conquieſcerē, ſi alterius partis tradidiſſet rationem, cum eo igitur conuenimus per cęlum intelligente Vniuerſum, & Mundum, quem præcepimus eſſe ſubiectum, quandoquidem apud Ariſto. cęlum tribus modis capitur, pro ſphæra extima, pro aggregato ex omnibus cęli orbibus, & pro mundo, quem* 1. cęli. tex 96. *cælo & elementis conſtare poſuimus. Inſcriptio igitur fuit facta à ſubiecto, Additur poſtea, & de mundo, vt ſit dictio explicatiua docens quomodo prior particula accepta ſit, vt idem ſit per cęlum intelligendum, & per mundum, appoſuit autem cælum, vt ex nomenclatione operis præſtantia indicaretur.*

M De

De Diuiſione. Cap. 12.

RELIQVVM modò eſt cùm de alijs egerimus, vt quartum noſtrum inſtitutum aggrediamur, perſcrutemurq; quot in partes totum hoc opus ſcindatur. omnes Ariſt. interpretes quos ego perlegerim, concordes dicunt librũ hunc duas in principes partes diſtribui, ut ſubiecti duæ ſunt partes, vna eſt, in qua de cęlo diſputatur, quæ duobus prioribus libris abſoluitur, altera, in qua de elementis, complexa duobus poſterioribus: hanc partitionem ex Ariſto. hauriri opinantur, qui initio tertij ſcopum propoſuit de elementis prius epilogo colligens, quæ in ſuperioribus dixerat, & ait de cęlo fuiſſe locutum. Partitur igitur in tractationem de cœlo, & quæ de elementis eſt. Horum hominum opinio mihi non arridet, quandoquidem ſcopum, qui primarius eſt, dimittunt ſolùm de partibus diſſeri volentes, relicta de toto diſputatione, quod abſurdum eſt. Conſtitit ex dictis Ariſtotelem multa de Vniuerſo egiſſe, antequam de partibus inchoaret doctrinam, vt tota oratio primi libri conſumpta ſit in Vniuerſo, vbi complura de eo prædicata tradita fuere. Et icciro nos cum Alexandro viro natura peracuto & prudente in diſciplinam de toto, & in eam, quæ eſt de partibus, diuidi cenſemus. Pars de toto & Vniuerſo primo complectitur libro, altera, quæ eſt de partibus, vt de cœlo & elementis, reliquis tribus. Doctrinæ ordo ſecundum neceſſarium efflagitabat, vt prius de Vniuerſo fieret diſputatio, communiora enim præferuntur. quæque adhuc pars multas recipit partitiones. Cùm exordium toti operi, in quo de corporibus eſſe intentionem inſinuat, præpoſuiſſet, à textu ſecundo uſque ad quintum Vniuerſi perfectionem oſtendit, & quatenus eſt corpus, omneſque complectitur dimenſiones, & ut ab alio non cingitur corpore, vſque ad 33. nonnulla de cœlo oſtendit, quòd ſimplex eſt corpus, alteriuſque naturæ à grauibus & leuibus, nec graue nec leue, & cuiuſque mutationis expers præterquam motus localis. Deinde vſque ad 76. monſtratur Vniuerſum mole & magnitudine eſſe finitum. vſque verò ad 101. mundum eſſe vnum, nec poßibile eſſe plures futuros. in poſtrema parte exploratum ſit mundum

mundum

mundum ortus & interitus eſſe expertem, fieriq́ue non poſſe genitum non corrumpi, interiturumq́ue non fuiſſe ortum. ſecundus verò liber de parte nobiliori tractat quippe de cælo, de eius partibus, & accidentibus. ſecatur autem in multas partes, velu ti & duo poſteriores, in quibus de elementis fit diſputatio, quas breuitati indulgentes nunc relinquimus in loco commodiori afferendas. Hęc hactenus de ijs, quæ in ſecunda præfatione inſtituimus, dixiſſe ſit ſatis.

Præfationis ſecundæ finis.

ASCANII COMITII PRAEFATIO TERTIA,

IN LIBRVM DE GENER. ET CORR.

Autoris inſtitutum proponitur.

PERARDVVM inchoaui opus, ea omnia, quæ initio cuiuſque Ariſtotelis libri naturalis philoſophiæ diſputari ſolent, me uelle interpretari in qua re niſi quis diu laborauerit, uix aut nunquã auctoris ſcopum attinget, ab eoq́;, quod incoeperam, receſſiſſem, niſi morem ijs, qui aſsiduè id officij à me petere non deſtiterunt, geſſerim. in quo .n. magis erat inuigilandũ, q̃ in eo in quo tot ſunt interpretum controuerſiæ, cũ quaſi familiæ diſſentientes proſeminatę ſunt eorum opiniones, cùm tamẽ omnes ſe philoſophos peripateticos eſſe opinentur? Difficile eſt in tanta ſententiarum uarietate, quid Ariſtoteles ſenſerit, perſpicere: planè uincebatur animus meus. Tamen aliorum falſis opinionibus non deterritus exequar, quod inſtitueram, non ſolùm illis parẽdi cauſa, ſed etiam ſpe iuuandi alios. Eaq́ue diligentia complectar, quæ ad hoc interpretandi munus ſpectant, qua in prioribus ſum præfationibus uſus. Obijciuntur autem nunc, quæ in libro de gener. & Corr. præmitti ſolent, quæ quatuor ſunt, materia operis, nomenclatio, ordo, & diuiſio, in quorum diſputatione conſueta nobis philoſophandi uia progrediemur ab intentione libri initium facientes.

Opinio

Opinio Alberti magni, & Diui Thom. Cap. 1.

OCCVRRIT nobis in primis Diui Thom. opinio, qui ſubiectum huius operis Ens mobile ad formam arbitratus eſt; parum ab Alberto magno & Egidio corpus mobile ad formã aſſerentibus diſſentiens, eundẽ. n. cõſiderãdi modũ oẽs accipiunt differentes in re cõſiderata, eiſdemq; innituntur rationib. Prius tamen ut eorum intelligatur opinio, noſcere oportet. mobile id uocari, quod aliqua motus ſpecie cieri poteſt: ſunt autem motus ſpecies quatuor, generatio & corruptio, auctio & diminutio, alteratio & localis motus, ut tertio phyſ. patet, quibus aliquam contingit formam acquiri: per generationem ſubſtantiæ forma comparatur, alijs uerò motibus ea, quę eſt accidentis. diuerſæ etiam ſunt formæ, quæ per hos acquiruntur motus, ſiquidem alię ei, quod mouetur, inhærent, ut ſubſtantię forma, magnitudo, & qualitas, quæ generatione, auctione, & alteratione gignuntur: aliæ uerò extrinſecus, ut quæ locali motu aduenit, & ubi nuncupatur. Dicunt itaque id ſubiectũ conſtitui oportere, quod cùm mobile ſit, ad formam, quę interna eſt, ſua natura moueri poteſt, de eo enim ente ſiue corpore hìc diſſeritur, quod formam reſpicit ſubſtantialem, & magnitudinem & qualitatem naniſci ualet: quandoquidem de eo, quod generatur, augetur & diminuitur, diſputatur, ſimulque de eorum affectionibus, generatione, auctione & alteratione. Mobile itaque ad formam materia huius exiſtit operis. Hęc eorum opinio rationibus aſtruitur, quarum prima eſt. Vnicuique eſt perſpectum uniuerſam de natura ſcientiam in corpore mobili uerſari, pars corporis mobilis ſpeciem perſcrutabitur, quoniam, ut pars ſcientię uniuerſæ ſcientiæ ſubijcitur, ita partis ſubiectũ ſub totius ſubiecto cõtineri ẽ neceſſe, mobile aũt ad formam eſt pars ſubiecti totius, de quo nuſquam locorum haberi doctrina poteſt, niſi hoc in uolumine, ut enim in communi conſideratur & ſimpliciter mobile, fuit in libro phyſ. pertractatum; quatenus uerò ad ubi & locali motu impellitur, quia communius eſt eo, quod ad formam mouetur, ſiquidem in æternis reperitur, libri de cęlo fuit materia & ſcopus; in rebus deinde, quæ oriuntur & occidũt, coar-

coarctatur, cùm ad formam addiderimus, qua eam intelligimus, quę motu generationis, auctionis, & alterationis acquiritur. De hoc igitur mobili fit hìc diſputatio, ut uniuerſè res omnes, quæ ortui & interitui ſunt ſubiectæ, reſpicit. Secunda ratio eſt, id ſubiectum fateri oportet, in cuius amplexu omnia in facultate continentur, æqualeque ſit ſcientiæ, ut nec eam ſuperet, nec ab ea ſuperetur: ſic mobile ad formam ſe habet, fit enim ſermo hìc de generatione, auctione, & alteratione, quæ in eo comprehenduntur; nihilque hic pertractatur quod ad ipſum redigi nequeat. Præterea id ſcientiæ eſt materia, cuius affectiones inquiruntur, de mobili ad formam hæc indagantur, facultas enim hæc generationem, auctionem, & alterationem, quæ ſunt per ſe accidentia corporis mobilis ad formam, uenatur. Illud igitur ſubiectum ponendum eſt, de eoque intentionem eſſe præſentis operis eſt affirmandum.

Opinio reijcitur, diluunturque rationes. Cap. 2.

HAEC *opinio recta non eſt, partimque exploſa à nobis in prima præfatione, eam enim partem, quam loco modi tractandi ſumpſerunt, deſtruximus, quandoquidem modus*

6.Met. tex. 2.

conſiderandi accipitur à modo definiendi, ut patet 6. metaph. & ueluti in definitione nullum clauditur accidens, ita nec in diſſerendi modo. Præterea ex ſubiecto diſtinctio ſcientiarum ſumitur, differentia uerò propriam rei naturam pręfert, ab accidente igitur accipi non debet; mobile autem, quod pro conſiderandi modo ſtatuerunt, eſt accidens, in ſubiectique naturam ingredi nequit. Deinde ſubiectum ab accidentibus, quæ de eo monſtrantur, ſeiungitur, at nomine mobilis ad formam ſimul accidentia intelligimus, ut generationem, auctionem, & alterationem, quare à ſubiecto non erunt diſtincta. Additur etiam quòd hęc facultas non erit ſeiuncta ab ea, quę in libro de cęlo habetur, ſiquidem etiam ibi de mobili ad formam diſſeritur, ut puta de elementorum generatione, & alteratione, ut teſta-

3. cęl.tex.1

tus eſt Ariſto. 3. illius uoluminis. Nec uerum eſt alterum, quod ab ijs profertur, nempe in communi de mobili ad formam tractari, &

non

non ad entis aliquam ſpeciem contracto, in 2. enim libro à tex. 24. uſq; ad 46. de elementorũ ortu diſputatur, de ea uerò, quę eſt mixtorum uſque ad 51. in particulari igitur de alicuius generatione fit mentio, alioquin fuiſſet neceſſarium alibi de iſtorum ortu fieri ſermonem. Præterea liber hic eo, qui eſt de cœlo, eſſet communior, in particulari enim ibi & de elementorum generatione, ut paulo poſt oſtẽdetur, fuit facta oratio. His falſitas opinionis liquet, nunc rationes ſunt diluendæ, primùm negamus ſcientiæ de natura ſubiectum eſſe corpus mobile in communi, ut patuit cùm de eo locuti fuimus, uerùm id eis concedamus, non tamen eſt neceſſe hic ſubiectum eſſe mobile ad formam communiter ſumptum, nam cùm ſimplex aut mixtum ſit, quod generari aut alterari dicitur, erat diſtinguendum, de quo hic fieret ſermo, an de ſimplici, an de mixto, an quod utrique eſt commune; iuxta eorum opinionem nec de mixto, nec de ſimplici, ſed de corpore in communi, quod uerum non eſt, cum rerum particularium tradatur ortus. Sine diſcrimine igitur locuti ſunt. altera ſoluitur, negamus illud quod ab eis poſitum eſt ſubiectum, habere omnes conditiones, quæ ad ſubiecti naturam requiruntur, ſuperat enim facultatem, quandoquidem in eo continentur omnia, quę ortui & interitui ſunt ſubiecta, hic uero ſolùm de mixto habetur ſermo, ut dicemus. Nec uerum eſt primò omnia redigi ad mobile ad formam, niſi quatenus eſt aliquid mixti. cõſimili rõne nec ſatis eſt eius inquiri accidentia ſed eſt neceſſe, ut illius ſint primò & per ſe; nam licet entis riſibilis inueſtigari poſſint affectiones, hominis tamen & non riſibilis uocabuntur, ita generatio, auctio, & alteratio mixti, & non entis mobilis affectiones dicuntur eſſe, aliter accidentis eſſent accidentia, nam mobile eſt accidens, cuius dicunt eſſe affectiones.

Nonnullorum opinio. Cap. 3.

SECVNDA opinio eſt nonnullorum aſſerentium hic de elementis, ut generantur & corrumpuntur, diſſeri, aiuntque tribus in locis Ariſto. de eis fuiſſe locutum, primo in libro de cęlo, ut æterna & partes uniuerſi ſunt. ſecundo hac in facultate, quatenus ortui, & interitui & mutuæ tranſmutationi ſubijciuntur. Tertio in libro uocato Meteor. ut aliter atque aliter afficiuntur.

ciuntur, iuxta horum igitur opinionem elementa quatenus generantur & corrumpũtur ſubiectum erunt. elementa poſita ſunt pro re conſiderata, ut generantur & corrumpuntur pro conſiderandi modo, quo doctrina hæc ab ea, quæ de elementis in libro de cęlo & meteor. fuit facta ſeiungitur Stabilitur hęc eorum opinio rationibus & auctoritatibus: Eſt prima ratio ex doctrinę ordine accepta, cum Ariſto. de elementis egerit in libro de cœlo, ut ſunt ęterna, reliquũ erat, ut de eis loqueretur, ſi perfecta erat tradenda eorum diſciplina, quatenus generantur & corrumpuntur, quod proximè poſt priorem tractationem erat faciendum, nam in ijs qui conſequuntur, libris de generatione eorum, quę ex elementis ortum habent, diſputatur. Secundo idem moliuntur alia ratione, ſi de elementorum generatione hic non fuiſſet dictum, diminutus eſſet Ariſto. quandoquidem de ea alibi non fuit tractatum, nec de eis ut generantur & corrumpuntur niſi hic agitur. Deinde de ea generatione hic diſſeritur quæ primo huius operis definitur, ea uerò, quę in elementis eſt, definitur, dicitur enim tex. 23. quòd generatio eſt tranſmutatio totius in totum nullo ſenſibili manente, quæ tantùm in elementis inuenitur, quoniam in horum duntaxat ortu tranſmutatur ſubiectum, id uerò in mixtorum generatione nõ reperitur, cùm in eis non fiat reſolutio uſque ad primam materiam. Hoc idem Ariſt. teſtimonio comprobatur,

1. de gen. & cor. tex. 43 *qui primo huius pollicetur ſe de elementis uerba facturum, & an ſint ſempiterna, uel oriantur & occidant. & ſecundo eiuſdẽ*

2. de gē. & corr. tex. 1. *cũm epilogo, quę illucuſque dixerat, collegerit, proponẽs deinde de quo ſit locuturus ait reliquum eſſe conſiderare circa uocata elemẽ-*

ibi. tex. 24 *tá, & inferius incipit de eorum generatione loqui, ut patet quando ait, dicendum eſt quis modus adinuicem tranſmutationis, & paulo*

eodem li. tex. 30. *poſt cum iam de re hac egiſſet ſic ait.* Quòd ergo omnia ex omni generantur, & quomodo adinuicem tranſitus fit, dictum eſt. *Hoc idem liquet ex epilogo, quem libro Meteor. præpoſuit repetens quę hoc in opere tractauerat.* De elementis corporalibus & quot & quæ, & de ea, quę adinuicẽ tranſmutatione, & de generatione & corruptione communi dictum eſt prius. *Prę*

2. de anima tex. 117. *terea Ariſto. 2. de anima uocat hunc librum de elementis. Eſt itaq; manifeſtũ elementa, ut ortui & interitui obnoxia ſunt, hic tractari.*

Opinio

Opinio refellitur. Cap. 4.

HAEC iſtorum opinio tantùm abeſt à veritate, vt nihil ei magis poßit eſſe contrarium. Primùm arguuntur, quòd ſi de elementis quæ generantur & corrumpuntur, Ariſto. hic diſſeruiſſet, tunc fuiſſet ſuperuacaneus, duobuſque in locis de eadem re egiſſet, ſic enim de illis in libro de cælo fuit locutus, veluti ex ipſo Ariſto. monſtrari poteſt, qui initio tertij cùm epilogum eorum feciſſet, quę in duobus prioribus libris dixerat, proponens de quo ſit dicturus ſic ait Reliquum eſt autem de duobus dicere, ſimul autem accidet de his dicentibus & de generatione & corruptione conſiderare. quare de generatione, & elementorum corruptione inſtituit ſe locuturum: nec vt malè nonnulli dicunt, putandum eſt librum de generatione & corruptione intelligi, ſed magis librum de cælo, vt rectè Simpl. exponit. Deinde paulo infra quod propoſuerat, exequitur, & quibus inſit generatio, inquirit, ubi ſit inquit generatio enim aut omnino non eſt, aut ſolùm in his eſt elementis, & iis, quæ ex his ſunt, hoc autem ipſum primùm forte eſt contemplandum, vtrum ſit, an non ſit. & cùm multas de generatione retuliſſet opiniones tex. 4. Platonem incipit arguere aſſerentem corpus generari, & ex ſuperficiebus componi, in eaſdemque diſſolui uſque ad tex. 29. tex. autem 30. pollicitus eſt de elemẽtorum generatione loqui, quandoquidem eorum, quæ oriuntur & intereunt, ſunt principia, vt his uerbis videtur ſignificare. Reliquum autem eſt dicere & quorum eſt corporum generatio, & propter quid eſt, quoniam igitur in omnibus cognitio eſt per prima, prima autem eorum, quę ſunt, elementa ſunt, conſiderandum eſt quæ nam ſint talium corporum elementa, & propter quid ſint, deinde poſt hæc & quot, & qualia. Prius tamen eorum numerum uenatur, oſtenditque non eſſe infinita, vno tamen plura eſſe vſque ad 52. vbi ad id quod de elementis inſtituerat, reuertitur, an ſempiterna ſint, vel generentur & corrumpantur, declaratque generationi & corruptioni ſubijci, & cùm iam ex ſeinuicẽ fieri monſtraſſet tex. 56. iterum propoſuit ſe tractaturum de mutua eorũ generatione, & vſque ad libri finem aliorum refellit opiniones. Patet itaque ex Ariſto. progreſſu in libro de cælo ſermonem fuiſſe factum

3. cęli. tex. 2.

de elementorum generatione, de qua omnia illa inquiri fuit neceſſarium, an ſcilicet ſit, & quorũ ſit; eſt enim primus liber ille, in quo de re hac in particulari erat ſermo faciendus, uniuerſè enim de ortu & de omni motu fuit diſputatũ in libro de phyſico auditu. Hoc
2. de gen. & corr. tex. 24. idem confirmatur. 2. huius ubi philoſophus cùm iterum elementorũ generationem eſſet aggreſſurus, ait ſe prius de re hac dixiſſe, uerba autem ſunt hæc. Quoniam autem determinatum eſt prius ꝙ ſimplicibus corporibus ex ſeinuicem generatio. quod eo libro minime explicatum eſt, intelligit igitur tertium de cęlo librum; idem ibi Ioa. gram. affirmante. Praterea epilogus libri Meteor. hoc idẽ oſtendit, qui ea colligit, quę in libro de cælo dicta ſunt de elemẽtis, vbi ſic dicitur. Adhuc autem de rectè diſpoſitis ſecundum ſuperiorem lationẽ aſtris, & de elementis corporalibus; & quot, & quæ, & de ea, quę ad inuicem tranſmutatione. fatetur igitur Ariſtote. ſe de mutua elementorum tranſmutatione dixiſſe in libro de cælo, cùm uerba, quæ recenſuimus, ea referant, quæ eo libro diſputata ſunt. Deinde eiuſdem eſt facultatis ſubiectum & accidentia perſcrutari, vt patet 1. poſt. ſi autem de elementis in duobus poſterioribus libris tractatur, ergo ſimiliter de eorum affectionib. erat agendum, inter elementorum uero affectiones eſt ortus & interitus quare etiam de his oportebat tractari. Praterea an elementa oriantur & intereant, ſpectat ad librum de cælo; ergo ibi de eorum generatione erat agendum: veluti enim in duobus prioribus inquiritur an cælum ſit generabile & corruptibile; oſtenditurq́; ortus & interitus eſſe expers; ita rationi erat conſonum, de elementis, quæ ſunt altera Vniuerſi pars, inquiri, an ortui & interitui ſint obnoxia, & ſi his ſubijcitur, aperire modum eorum generationis, vt inſtituerat; aliter de eis doctrina eſſet diminuta, & non omnia eſſent tractata, quæ ad eorum attinent cognitionem. Huic etiã aſſentitur Auer.
3. cęl. cõ. 1. & ultimo. qui 3. cæli fatetur de ortu & interitu elementorum ab Ariſt. fuiſſe diſputatum. Decipiuntur etiam iſti aſſerentes hoc libro ſolùm de elementorum ortu diſſeri, cùm & de eo fiat ſermo, qui eſt mixtorum, ut liquet a tex. 46. uſq; ad 51. ſecundi libri. elementa itaque ſubiectũ eſſe non poterunt, cùm facultas latius pateat.

Opinionis

Opinionis rationes diſſoluuntur. Cap.5.

*NVNC rationes eorum diluamus, deceptoſq́; eos eſſe dici-
mus, dum aſſerunt in libro de cęlo tantùm elementa, ut
ſempiterna ſunt, conſiderari, uiſum eſt enim etiam de eo-
rum generatione tractari, alioquin aliter fuiſſent cõſiderata, quàm
eſſent: licet enim ſecundum ſpeciem veluti & reliqua omnia, quę am-
plexu cœli continentur, æterna ſint, ſecundum numerum tamen
oriuntur, & intereunt. Accipiunt etiam falſum, dum inſtitutum li-
bri Meteor. attulerunt opinantes ibi de elementorum affectionibus
diſſeri, non enim in facultate accidentia pro ſubiecto conſtitui poſ-
ſunt. Præterea elementa vt contra Auic. oſtendit Auer. tertio cæ- 3.cęl.com.
li non poſſunt in accidentibus tranſmutari, niſi eorum quoque ſub- 67.
ſtantia aliquam patiatur mutationem. ſecunda reijcitur, quia tertius
de cælo erat locus; ubi per ſe de elementorum generatione erat lo-
quendum, ibi enim elementa per ſe, & vt quodammodo ſunt ſubie-
ctum, conſiderantur, quare ad locum illum propriè attinebat de eo-
rum accidentibus diſſeri. Ad tertiam reſpondetur, & negamus ibi
elementorum duntaxat generationem fuiſſe definitam, non enim cõ-
munis eſſet liber, nec de omni loqueretur generatione, ut initio Ari-
ſto. inſtituit, cùm dixit ſe velle omniũ generationis tradere cauſas,
& in principio meteor. ait ſe dixiſſe de generatione & corruptio-
ne in communi. ſi igitur ſcopus de omni generatione erat, non ſatis
fuiſſet ſolùm de elementorum ortu loqui. dicimus etiam definitionẽ
ibi de generatione traditam competere ei, quæ eſt mixtorum, licet
enim in eorum generatione aliquid remaneat, non tamen vt ſubie-
ctum, ſed ut diſpoſitio, ueluti & in elementorum tranſmutatione ali-
quid ſupereſſe poteſt, vt tranſparentia, & qualitas ſymbola, vt li-
quet primo libro. ex hoc igitur non prohibetur, quin ea definitio ei
generationi, quæ eſt mixtorum, competat. Pro eo, quod ex Ariſt. 1.de gen.& cor.tex.24
affertur, animaduertere oportet, duobus in locis de elementis fuiſſe
diſputatum, nempe in libro de cælo, & hic, diuerſo tamen tractandi
modo, vt in ſuperiori Præfatione adũbratam diximus cognitionẽ,
ibi enim vt partes ſunt vniuerſi, hìc uerò vt mixti principia, ut re-
ctè Auer. ſenſit, & id quidẽ erat neceſſarium, ſiquidem his duobus 1.de gen.&
modis poterant conſiderari. Deinde Ariſt. in primo de gen. & corr. cor.tex.43*

proponens intentionem ait ſe de materia, & vocatis elementis tractaturum, elementa igitur vocat materiam, perinde ac ſi de eis loqueretur ut mixtorum materia ſunt, & in exordio ſecundi reddens
2. de gene. & cor. tex. 1. *rationem quare de elementis velit loqui ait, quia generatio & corruptio generabilibus & corruptibilibus ineſt non ſine ſenſibilibus corporibus, hoc eſt non ſine elementis, quare ratione alterius de elementis ſit tractatio, & ita inſtituerat de eis loqui. Dicimus ad id, quod fuit allatum ex epilogo libri meteor. quòd uerba illa omnia nõ ſunt ad librum de gen. referenda, quando enim dicitur, de elementis corporalibus & quot, & quæ, & de ea, quæ adinuicem tranſmutatione, ſit epilogus librorum de cęlo, reliqua vero eum, qui de gen. eſt reſpiciunt, in quo de generatione communi dictum eſt, quoniam tractatio hæc communiter omnium mixtorum ortum complectitur: nec refert ſi in ſecundo de anima liber hic fuerit uocatus de elementis, à multis enim operis denominatio accipitur, vt dicemus paulo poſt, etiam liber phyſ. dicitur de principijs, quæ in eo libro non ſunt ſubiectum. ſatis conſtat igitur horum opinionem eſſe falſam.*

Tertia aliorum opinio, & eius improbatio. Cap. 6.

NON defuere alij, qui magis Ariſtoteli & veritati adhęreſcere putantes generationem & corruptionem ſubiectum eſſe dixerunt moti ex libri inſcriptione, quã ſemper à ſubiecto fieri opinantur, inſcribitur autem liber hic de generatione & corruptione. Præterea id eſt ſubiectum, de quo quid eſt pręcognoſcitur, nam ut Ariſto. 1. poſt. admonet, de ſubiecto ſi eſt, & quid eſt præcognoſci oportet, de generatione & corruptione traditur quid eſt, & non alterius, ut patet in primo. ergo ſunt ſubiectum. Verùm hæc opinio à veritate aliena eſt, ſiquidem ſubiectum id arbitramur, cuius accidentia facultas uenatur, vt patet primo poſt. quãdo his verbis utitur Ariſto. omnis enim demonſtratiua ſcientia circa tria eſt, & quæcunque eſſe ponuntur, hæc autem ſunt, genus, cuius per ſe paſsionum eſt ſpeculatiua. *at generationis & corruptionis inquiri non poſſunt accidentia, ſunt enim ipſę accidentia,*

[Margin: 1. poſt. tex. 2. — 1. de gener. & cor. tex. 23. — 1. poſt tex. 76.]

dentia, quorum alia non ſunt accidentia. Ad hęc ſcientia ſubiectum & accidentia contemplatur, ſi verò ea ſubiectum eſſe dicemus, huic facultati deficerent accidentia, alioquin idem ſubiectum cum accidentibus eſſet, quod nemo profectò affirmaret. Deinde nunquam alterius gratia ſubiectum quærendum eſt, quinetiam illius cauſa omnia tractantur, vt illud ſit ſcopus & finis facultatis, ad quod omnia referri ſit neceſſe, generatio verò et corruptio alterũ reſpiciunt nempe ea, quorum ſunt affectiones, vt quæ ortui & interitui ſubiecta ſunt. falſa eſt itaque horum opinio, rationeſq; ferè nullius ſunt momenti, non enim inſcriptio ſemper à re, quæ in facultate primaria eſt, accipitur, ſed ab ijs interdum, quæ minus principaliter conſiderantur, & à compluribus eam fieri contingit, veluti aliquando à principijs, vt dici poteſt de libro phyſicorum, qui de principijs nuncupatur, & liber de anima, interdum verò à ſubiecti ſpecie nctiori, vt liber poſt. dicitur de demonſtratione, quæ in eo opere ſpecies eſt ſubiecti totius. interdum verò nomenclatio fit ab accidente, vt liber phyſicorum vocatur de motu, veluti & de hoc, quem præ manibus habemus, dicere poſſumus, qui de generatione & corruptione, quæ accidentia ſunt, inſcribitur. Soluitur ſecunda ratio, non enim ſemper de ſubiecto ipſum quid & definitio pręcognoſcitur, ſed tunc ſolùm cùm fuerit ignotum, vt docuit Ariſt. 1. poſt. ſubiectum hìc cõſtitutum perſpicuum eſt utraq; præcognitione, & præcognoſci non opus erat. poſſumus etiam reſpondere, uerum non eſſe ſubiectum id, quod ſemper definitur, quoniam & partes & principia & affectiones definiuntur. 1. Poſt tex 76.

Ioa gram. & Olympiodori opinio. Cap. 7.

EST quarta opinio Ioa. gram. & olympiodori aſſerentium inſtitutum præſentis operis eſſe de omnibus generabilibus & corruptibilibus agere, inquit enim Ioa. gram. hìc in procœmio, ꝙ rerũ naturaliũ quædã ſunt ingenerabiles & ĩcorruptibiles, quędã generabiles & corruptibiles, ĩcorruptibiliũ uerò et ſempiternarũ quedã & quo ad totũ & quo ad partes ſunt æternæ ut cæleſtes, quædã uerò quoad totũ ſunt æternæ ſed quo ad partes generabiles & corruptibiles, ut ſunt quatuor elemẽta. Ariſt. de æternis &

quo

quo ad totũ & quo ad partes, & de æternis quo ad totũ & quo ad partes corruptibilib. egit ĩ libro de cælo, in præſenti uerò libro de ijs tractat, quæ cõiter cõſequũtur oẽs res generabiles & corruptibiles, in ijs uerò, qui ſequũtur, de ijs, quæ ſeorſum cõſequũtur aliquas res particulares Eandem protulit ſententiam olympiodorus initio libri meteor. iuxta horum igitur opinionem ſubiectum huius operis erit corpus generabile & corruptibile in communi, ut ſcilicet elementa & cætera, quæ oriuntur & intereunt, complectitur. Quorum opino etſi ex Ariſt. progreſſu, quem paulo ſupra attulimus, pateat, alijs tamen rationibus poteſt confirmari. Ariſto. in principio libri inſtituens de quo ſit locuturus ait ſe de generatione & corruptione eorum, quæ natura generantur & corrumpuntur, tractaturum, quare de aliquibus non fuit propoſitum inſtitutum ſed de omnibus. De inde adijcit ſimiliter de omnibus & cauſas diuidendum & rationes eorum determinandum, hoc eſt de omnibus uniuerſaliter dicendum & Ioa. gram. ait communiter de omnibus, quæ natura fiunt & corrumpuntur, quærendum, & de omnibus generabilibus & corruptibilibus. Præterea Ariſto. tex. 5. Platonem carpit, qui ſolùm de elementorum generatione & corruptione & non de omni ſcrutatus eſt planè igitur aperit intentionem eſſe de omni corpore generabili & corruptibili, & ſecundo eiuſdem pollicetur ſe uelle loqui de principijs cuiuſq; generationis, & in epilogo libri meteor. ait in libro hoc ſe dixiſſe de generatione & corruptione cõmuni. Si igitur hìc de omni generatione diſputatur, ſubiectum erit corpus generabile & corruptibile ſimul elementa & quæ ex eis componuntur, amplectens.

2. de gẽ. & corr. tex. 51.

Additur etiam quòd ueluti de rebus naturalibus in communi in libro phyſ. fuit tractatum, ubi quæ uniuersè res omnes naturales conſequũtur, fuere allata, ita erat neceſſarium in libro aliquo agi, quæ communiter inſunt omnibus rebus, quæ ortui & interitui ſunt obnoxia. quod nuſquam locorum niſi hìc fuit factum. & rationi adiungitur robur, quando de ſpeciebus eſt diſputatio facienda, prius de genere loqui, uſus recepit.

Opinio refellitur, & rationes diluuntur. Cap. 8.

ISTORVM opinio mihi non arridet, pertimeſceremq́ue (ut uerum fatear) eam tueri, ſiquidem pluribus deſtrui poteſt, præter id, quòd ſibi Ioa. gram. parum conſtat. Primùm, Ariſto. tertio cæli tractaturus de elementis, ut generabilia & corruptibilia ſunt, ait in primis ſe inueſtigaturum, ſi omnimo eſt generatio, ſi hæc ab Ariſto. dicuntur, ut Ioa. gram. teſtatur, ergo ꝓpoſitum eſt in libro de cælo agi de elementis, ut generabilia ſunt, ueluti etiam in fine proœmij hoc idem ponit Ioa. gram. cùm ait in tertio cæli agi elemēta ex ſeinuicem gigni, ſi igitur in libro de cælo de elemētorum generatione ſit ſermo, ergo fruſtra hoc in libro. Præterea ubi de rei natura agitur, ibidem accidentia inquiri eſt neceſſe, ſi autem in libro de cælo de elementis habetur doctrina, & eorum accidentia inquiri oportebat, in quibus generatio & corruptio numerantur. Deinde ſicut de cæleſti corpore oſtenditur an genitum interiturumq́ue ſit, idem de elementis erat ſciendum, modusq́ue eorum generationis explicandus. Si igitur id in libro de cælo quæſitum eſt, fruſtra hìc repetitur, ne bis de eadem re ſit faciendus ſermo. quare ſub ſubiecto huius facultatis elementa non erunt comprehenſa. Additur etiam, quòd ſi hìc traduntur, quę communiter res oēs ortui, ac interitui ſubiectas conſequuntur, ut putauit Ioa. gram. in poſterioribus libris fuiſſet operæpretium ſigillatim de elementorum ortu loqui, nam teſte Ariſto. 3. phyſ. propria tractatio inſequitur communem, & cùm Ariſto. non egiſſet, non eſt ſuſpicādum communiter hic diſſeri de corpore generabili & corruptibili. Deinde in ſecundo huius à tex. 24. uſque ad 45. de elementorum ortu diſputatur, ergo nō communiter de corpore generabili & corruptibili. Præterea principia ſub ſubiecti nomine non ſunt comprehendenda, at elementa hic perinde ac principia tractantur, ut Auerr. teſtatus eſt 3. cæli. Deinde omiſerunt conſiderandi modum, qui magnopere ſubiecto neceſſarius eſt. faber etiam lignarius & primus philoſophus de corpore generabili & corruptibili diſſerunt. His conſtat falſitas huius opinionis. Soluamus modò rationes. falſum eſt illud, quod in principio

3. Phy. tex. 2.

fuit

ſuit ſumptum nempe in libro de cælo elementa conſiderari, ut ſunt æterna, pro perfecta enim cognitione rei eſt neceſſe ea omnia noſcere, quæ eis inſunt, elementis autem ortus & interitus inſunt, quare de illis erant cognoſcendi. Præterea eo modo quæque res cognoſcenda & tractanda eſt, quo eſt, elementa ortui & interitui ſubijciuntur ſic igitur de eis erat reddenda doctrina, quod porrò ex Ariſto. tertio cæli habetur, ubi de elementorum ortu pollicetur ſe uerba facturum, ueluti diffuſius paulo ante dictum eſt. Verum pro ſolutione eorum, quę ab Ariſto. afferuntur, animaduertere oportet, duobus modis conſiderari poſſe elementa teſte Auer. tertio cæli, uno modo, ut uniuerſi ſunt partes, & ita de eis diſſeritur in libro de cælo, alio uerò modo, ut mixtorum ſunt cauſæ, ueluti hic pertractantur. Dicimus igitur de elemẽtorũ generatione hic fieri ſermonẽ nõ ut ſubiectũ, ſed ut ſubiecti principia ſunt, mixti deinde generatio attẽditur, ut ſubiectum. Poſſumus itaque dicere, de omni generatione hoc in libro diſputari, & quæ ſimplicium & quæ mixtorum eſt, uerum de elementis agitur, ut cauſæ ſunt, de mixtis uerò ut ſubiectum. Ad poſtremũ reſpondemus, quòd non ſemper id ſeruatur, ut in priori præfatione tetigimus, ut ſcilicet de genere & de communiori prius fiat diſputatio, cùm enim occaſio requireret, ut de elementis, quandoquidem uniuerſi partes ſunt, ageretur in libro de cælo, ibi de eorum generatione tractandum erat, fieri igitur non poterat, ut alibi de eis per ſe fieret conſideratio, alio igitur modo hic erant diſputanda.

3. cęli cõ. 1. & ult.

Opinio propria. Cap. 9.

ALIORVM reiectis ſententijs, modò noſtra eſt adducenda, quæ ut eluceat, nonnulla accipere oportet, primum eſt ut etiam paulo ſupra tetigimus, quod de elementis duplex poteſt fieri conſideratio, uno modo tractari poſſunt, ut uniuerſi partes, ut de eis dictum eſt in libro de cælo, alio uero modo ut mixti principia, prior de eis tractatio licet prorſus non ſit ſine relatione, cùm ut alterius partes conſiderentur, minorem tamen includit collationem, quàm ſi ut principia conſiderentur, ſiquidem pro ſubiecto in parte facultatis ſumi poſſunt. merito illa diſputatio huic præfertur, quare fatemur hic agi de elementis, ut tamen mixti principia ſunt, ſi

cut

cut patet primo huius & in principio ſecundi. Eſt alterum ſumendum, ſubiecti duas eſſe partes, nempe rem conſideratam, quam latini partem materialem vocant, & modum conſiderãdi, quæ pars formalis ab eiſdem dicitur: ſubiectum à nobis conſtituendum duas has partes habere neceſſe eſt, pro re conſiderata corpus mixtum ſumimus; Verùm quid per corpus mixtum ĩtelligamus, accipi oportet. eſt autem corpus naturale duplex, unum ſimplex, alterum mixtum, vocatur ſimplex, non ꝙ ex aliјs non ſit compoſitum, ſed quia elemẽtorum mixtione non conſtat, veluti cælum et quatuor elemẽta, quę ex vna tantùm materia vt puta ex prima effinguntur. Dicitur corpus mixtum, quod præter primam materiam in ſui conſtitutione etiã elementa capit, & id duplex eſt, vnum imperfectum, alterum perfectum, dicitur imperfectum aut quia ex quatuor elementorum mixtione nõ efficitur, aut ex imperfecta eorum omnium compoſitione: id quomodo ſe habeat interim eſt ambiguum, & in ſequenti præfatione declarabitur, ſunt autem mixta imperfecta res meteorologicæ. mixtum autem perfectum adhuc duplex eſt, vnum quod anima caret, ſicut mineralia, alterum uitę eſt particeps, quod aut uitam viuit uegetalem, veluti plantæ, aut ſenſitiuã, vt animalia, tot igitur mixti ſpecies ſunt. His poſitis ſic rem poſſumus moliri, cùm in libris, qui deinceps ſunt, de varijs mixti ſpeciebus tradatur doctrina, de mixto in communi prius erat loquendum, cuius diſciplinæ liber hic eſt attribuendus. Præterea id ſubiectum ſtabiliri oportet, cuius facultas accidentia contemplatur, hìc verò de mixti accidentibus diſſeritur, ſicuti de ortu, alteratione, & auctione, de quibus Ariſt. in hoc primo propoſuerat ſe locuturum, quæ licet etiã elementis inſint, horũ tamen gratia non inquiruntur, niſi quatenus mixti ſunt principia, veluti etiam de mixtione perſpicitur, de qua in calce primi diſſeritur quæ mixti eſt, & non elementorum. Præterea id eſt ſubiectum, cuius principia indagantur, mixti principia facultas hæc venatur, vt puta materiam veluti quatuor elementa, de quibus multa agit in ſecundo ad textum uſque 21. de aliјs cauſis exorditur ſermonem tex. 51. uſque ad finem vt de efficiente, quod eſt corpus cæleſte, de quo pollicitus fuerat ſe locuturum in primo, ſiquidem de vniuerſali efficiente egit in octauo phyſ. hìc verò de proximiorib. & proinde tex. 55. dixit ſolem accedentem & recedentem eſſe cauſam generationis,

1.de gen.& cor.tex.41

1.de gen.& cor. tex.4.

1. de gen.& cor.tex.14.

nis & corruptionis.tractauit etiam de forma, qui & finis eſt, vt patet tex. 54. Quare cùm in primo de ortu, qui communiter elementis & mixtis ineſt, dixerit, elemẽtis quidem vt principia, & mixtorum materia ſunt, mixtis uerò, vt ſubiectum, in ſecundo ſigillatim de elementorum generatione loquitur à tex. 24. uſque ad 46. intellecta ſemper ea conditione quatenus ſunt principia. à tex. uerò 46. uſque ad 51. de mixtorum generatione. Sed hìc oritur dubitatio, ſi de elementorum generatione habita fuit tractatio in libro de cælo, ut paulo ſupra diximus, cur ea hìc repetitur? quæ enim in communib. & prioribus libris dicta ſunt, in ſingularibus & in inferioribus ſupponuntur. Ioa.gram. in primo huius com. 102. ait in libro de cælo Ariſtotelem oſtendiſſe elementa nec ingenerabilia, nec incorruptibilia eſſe, nec ex aliquo alio ſubiecto fieri, nec eſſe infinita, ſed finita: ſed quo modo ex ſe mutuo fiunt, ibi ſuperſedit, diſtulit in hoc loco dicere de his. Verùm mihi dubia eſt hæc Ioa.gram. ſolutio, perſpicuum enim eſt Ariſto. propoſuiſſe in initio tertij de cælo ſe locuturum de elementorum generatione, vt etiam liquet tex. 30. à quo non diſſentit Simpl. inſignis Ariſt. interpres, & proinde cùm ibi Ariſto. multos modos retuliſſet, quibus veteres elementa gigni opinabantur, intulit tandem ex ſe mutuo illa fieri, quem locum innuit in hoc ſecũdo cùm ait ſe dixiſſe de mutua elementorum trãſmutatione. rectius igitur cum Diuo Thom. latinorum facilè principe dicimus in tertio cæli ſuper tex. 30. aſſerente hanc tractationem de elementis inchoari in libro de cælo, & perfici in libro de generatione. ſed quis adhuc ambigeret, ſi locus ſuus, ubi de elementorum generatione erat agẽdum, liber de cælo eſt, quare conſideratio illa non fuit ibi abſoluta? Sed partim hìc, partim ibi non ſine maxima eorum, qui legunt, confuſione. Verùm quis contra Ariſtotelem audeat aliquid proferre? hominem profectò in dicendo grauem, & in exiſtimando admodum prudentem, ex cuius doctrina tanquam ex omnium artium officina innumerabiles in omni genere facultatis præſtantes viros prodiiſſe conſtat. iccirco nos ſoluimus propoſitam dubitationem, vt non ſine maximo iudicio id fecerit Ariſto. omnium diſciplinarum peritus, cùm enim eius inſtitutum eſſet hìc de mixti generatione loqui, quæ abſq; mixtione elemẽtorũ fieri nequit, perfecta de mixti generatione doctrina haberi non poterat, niſi ſimul elementa cognoſcerentur quoque

2. de gen. & corr. tex. 24.

quoq; pacto fractione ſubſtantiarum & qualitatum remiſsione ad mixti compoſitionem deuenirent, quo tempore ſecũdum partem corrumpuntur, generatio igitur mixti planè tradi non poterat, niſi elementorum mutua generatio cognita fuiſſet; & proinde in initio ſecundi Ariſt. de primis diſputat qualitatibus vſque ad tex. 24. inde vſque ad 46. de elementorum generatione, poſtea de mixtorum ortu, cùm igitur quadam ſocietate mixti ortus coniungeretur cum elementorum generatione, merito in eodem loco de vtriuſq; productione ſit diſputatio. Verùm quæ longius reſpiciebant hanc tractationẽ, & communiora erant, vt vtrum ſit generatio, & quorum, fuere in libro de cęlo pertractata; quæ vero propinquiora huic ſermoni, diſtulit Ariſto. huncin locum, ut facilius mixti generatio comprehenderetur: fuit etiam id repetitum hìc, quod ibi ob aliquam occaſionẽ non fuit ſatis declaratum, vt dici poteſt de mutua elementorum trãſmutatione, de qua etſi in ſecundo huius tex. 24. dixerit ſe determinaſſe, inſtituit tamen alijs rationibus illud idem ſtabilire, ut aliqua tractentur latius in loco, qui non eſt ſuus. eſt liber, in quo de eleṁẽtorum generatione per ſe erat tractandum, qui de cęlo nũcupatur, in qu o Ariſt. pauca de re hac diſſeruit, & hæc quidem non ſufficiẽter, multa uerò in libro hoc, ubi non erat ſuus locus. quare id non videtur rationi conſonum. Reſpondemus id non eſſe præter Ariſt. cõſuetudinem, qui ſæpius in alieno loco ob aliquam occaſionem pluribu s agit de aliqua re, quàm in loco proprio, ut de animi affectibus conſtat, quorum cognitio magis ad naturalem ſpectabat, in Ethicis tamen & Rethoricis de eis longius diſputatur, veluti etiam de definitione dici poteſt, cuius conditiones tradendæ erant in ſecundo poſt. ubi erat locus proprius, in quo de eis pauca dicta ſunt, & magis quidem probabiliter quàm verè, in libro verò Topic. fuſius & verius, in quo de definitione non ſit ſermo niſi vt eſt quoddã problema. hoc idem ſeruauit Ariſt. 1. meta. cap. ult. ubi cum incidiſſet in ſermonem de artis & ſcientiæ differẽtijs, quod illius facultatis erat munus, cùm ars & ſcientia ſint affectiones entis vt ens, quod ſubiectum eſt in ea facultate, reiecit ſe ad librum Ethic. in ſexto cuius de arte & ſcientia agitur. Pręterea 4. meta. de eo principio loquens quod fieri non poteſt, ut idem ſimul inſit & non inſit eidem, quod ad primum attinet philoſophum ait ſe pluribus egiſſe de eo in libro elẽ 4. Metaph. tex. 9.

rborum, vbi non eſt ſuus locus. idẽ igitur nos hìc dicimus, ꝙ etſi proprìe agere de elementorum generatione ſpectet ad librum de cęlo, aliquas tamen ob cauſas pluribus egit Ariſt. in libro de gen. & corruptio. licet nõ ſit ita proprius locus, ut ille. Sic igitur ſoluta eſt hæc difficultas, ſimulq; conſtat quæ ſit materia operis pro re conſiderata, eſt. n. mixtũ, addimus autẽ modũ conſiderandi, ut habet in ſeipſo principiũ motus & quietis. paſſim diximus unũ eſſe tractãdi modũ, qui ſubiecto totius & partibus congruit, eſt autem mixtum pars naturalis corporis,, quod in vniuerſa ſcientia de natura ſtatuimus ſubiectum, eundem igitur ſibi conſiderandi modum uendicabit. Prętere a mixtum ſic ſimpliciter prolatum à primo philoſopho, & fabro lignario conſiderari poteſt, at cum adiectione proprium ſit philoſophi naturalis. Quare mixtum, ut habet in ſe principium motus & quietis, eſt ſubiectum. Hactenus de materia huius operis.

De inſcriptione. Cap. 10.

NVNC ad ſecundum inſtitutum accedamus, & de inſcriptione loquamur, fuit liber hic inſcriptus de gen. & corr. ab accidentibus ipſorum mixtorum. Verùm dubitatur, ſi à re cõſiderata & ab autoris inſtituto accipienda eſt inſcriptio, quare de mixtis, quæ tractantur, non fuerit vocatus? eſt ſecunda dubitatio, cùm multa ſint accidentia, de quibus hìc diſſeritur, vt alteratio, auctio, & mixtio, cur magis fuit denominatus de generatione & corruptione? Tertia eſt dubitatio, non ſolùm hìc, ſed in compluribus alijs libris de generatione fit ſermo, ut in libro meteor. de ea, quæ rerum eſt meteorologicarum, in quarto de ea, quæ eſt mixtorũ perfectorum, quare magis huic libro fuit datum nomen generationis? Facilè has ſoluimus dubitationes, & à multis, ut paulo ſupra diximus, inſcriptionem fieri fatemur, interdum enim à principijs, ut liber phyſ. dicitur de principijs, & liber de anima. aliquando ab accidente, non enim inſcriptio ad libri eſſentiam pertinet. Secunda ſoluitur, quòd licet & alia complura præter generationem accidentia mixti hic pertractentur, præcipuum tamen eſt generatio, cęteraque ad eam potius diriguntur, ob ipſamq; eſt alteratio; & proinde Ariſtot. in initio de alteratione diſputat, & eam à generatione contra-

ueteres ſeiungit, ut perfectè generationis natura cognoſceretur; ob eandem etiam eſt auctio, in utero enim partes augentur, ut perfecta ſit fœtus generatio. ea quoque auctio, quæ rem abſolutam inſequitur, propter generationem eſt, nam ut conſtat ſecundo de anima naturaliſſimum opus uiuentium eſt facere aliud quale ipſum, faciuntq́; ſibi ſimile, dum per auctionem perfectam acquiſiuerint magnitudinem. Huius ſimiliter gratia inſtituta eſt mixtio, ſine qua nec mixti procreatio fieri poteſt. Iurè igitur liber tali nomine fuit nũcupatus. Tertiam ſoluimus dubitationem, quòd etſi in alijs de generatione diſputetur, hìc tamen in communi, ibi uerò in particulari, igitur reliquæ generationes potentia hìc comprehenduntur, nomenq; commune huic uolumini tribui poterat. 2. d anima tex. 34.

De ordine. Cap. II.

CVM hæc dixerimus de inſcriptione, alterum à nobis propoſitum exponamus, quod de ordine fuit, uerùm cùm ordo ſine priori & poſteriori, quæ eius ſunt differentiæ teſte Auer. 1. phyſ. intelligi nequeat, iccirco diſputare oportet, quos liber hic inſequatur & quos antecellat, ſtatim enim patebit, cur ei tertia ſedes in philoſophia ſit attributa. Primum obtinet locum liber de phyſico auditu, in quo de rebus cõmmunibus & ijs quæ inſunt omnibus rebus naturalibus, diſſeritur, ueluti eſt prima materia & primum efficiens, prima forma, & ultimus finis, quomodo etiam ſe habent accidentia ibi inueſtigata, ùt motus, locus, & tempus, quibus nihil communius ineſt rebus naturalibus, ibiq́ue de corpore diſputatur naturali perinde, ac de illius operis materia, iurè doctrina illa fuit prępoſita cæteris omnibus, quæ enim magis communia ſunt præferuntur. eandem ob cauſam liber de cœlo cõſequitur, quę enim ibi tractantur, ſi cum ijs, de quibus poſterius diſſeritur, conferantur, magis uniuerſalia ſunt, eſt enim primus liber, in quo de parte ſubiectiua ſit ſermo, ut Auer. 1. cæl. teſtatus eſt, quandoquidem prima corporis naturalis ſpecies eſt uniuerſum, in quo corpora ſimplicia cõmprehendi aſſeruimus, quæ ijs, quæ ex illis componuntur, ſunt priora. Sicuti igitur ſe habent res, ita & doctrinę, res libro cęli diſputatæ priores ſunt, ſiquidem cauſę, quę uerò in ſequentibus tractãtur 1. Phy. cõ. 41. 1. cęl. cõ. 1

ctãtur libris,poſteriores,quia ex illis fluunt.Conſtat igitur opus hoc eos conſequi libros.Nunc explicare oportet,cur alios,qui deinceps ſunt, precedat. Tractatio de genere naturæ ordine eam præcedit quæ eſt de ſpeciebus;hic de mixto,quod genus eſt eorum, quę in reliquis tractantur libris,diſputatur.merito doctrina hæc eſt prgferẽda,ut ueluti phyſicorum liber de ijs omnibus agit, quæ communiter rebus cunctis naturalibus inſunt, ſic hic de ijs loquitur,quę uniuerſè res oĩs mixtas conſequuntur.Prefertur igitur alijs, qui de mixti ſpecie diſſerunt,ut trib. priorib.libris meteor.in qb. de mixtis imperfectis agitur, & quarto,in quo de perfectis.Verùm nõ deeſt dubitatio, cur Ariſ. in reb.generabilib.tractandis eũ ordinẽ non ſeruauerit,quo uſus eſt in rebus omnibus naturalibus, quibus prepoſuit librum communem , ut conſimili ratione prius fieret ſermo uniuerſe de rebus ortui & interitui ſubiectis,ut non ſtatim pertranſeatur ab ęternis ad mixta.Reſpondemus,multas fuiſſe cauſas, quibus motus id effecerit Ariſt. prima eſt,fuit neceſſe poſt librum de phyſico auditu ſermonem aggredi de corpore ſimplici & Vniuerſo prima ſpecie corporis naturalis,cuius elementa ſunt partes.de elementis igitur erat diſſerendum in libro de cęlo,ſimul & de eorum generatione,quare non oportebat reijci ſermonem de elementorum ortu ad librum communem de generabilibus, ibi enim de eorum ortu erat loquendum,ubi de eis diſſerebatur,cùm generatio ſit eorum affectio. Eſt ſecunda ratio,quia generabilia non eam habent inter ſe communitatem,ut in libro communi tractari poſſint, elementa enim ſunt mixtorum principia.ubi autem de mixti generatione erat faciendus ſermo, ibi & de elementis,ut eius ſunt principia , non igitur de eis agi poſſet,ut partes ſubiecti ſunt,ueluti fuiſſet neceſſarium , ſi corpus generabile conſtitueretur materia. Cùm huius ſimile,quod impediret,non inueniretur in tractatu de mixtis,merito Ariſt.communem de eis inſtituit ſermonem.

De diuiſione.

R*ELIQVVM eſt,ut de diuiſione loquamur, diuiditur totum hoc opus duas in principes partes,nempe in progmium & tractatum,hæc ſecunda pars adhuc in multas ſcinditur partes,ad textum enim uſque 25.primi libri Ariſto. aduerſus antiquos*

quos diſputans generationem ab alteratione ſegregat, de hiſq; multa dicit. agit deinde uſque ad 46. de auctione, inde uſque ad 82. de agere & pati, uſque uero ad finem de mixtione. in ſecũdo uſque ad 20. parem qualitatum numerum uenatur, ad 24. uſque ex primis qualitatibus numerum elementorum quaternarium inuenit, uſque ad 46. de generatione elementorum loquitur, uſque ad 51. de mixtorum ortu, uſque uerò ad finem de cauſis cuiuſq; generationis & corruptionis. Hæc ſunt ea omnia, quæ hoc libro complectuntur, & hactenus de ijs, quæ propoſuimus initio huius præfationis

Præfationis tertiæ finis.

ASCA-

ASCANII COMITII
PRAEFATIO
QVARTA,
IN LIBRVM METEOROLOGICORVM.

Autoris inſtitutum proponitur.

EST noſtrum inſtitutum in hac quarta Præfatione ea docere, quæ in libro Meteorologicorum diſputari uſus recepit, hæc autem potißimùm quinque eſſe duximus, ſubiectum, inſcriptionem, diuiſionem, nomen auctoris, & utilitatem. in quorum diſputatione ea progrediemur uia, qua in alÿs uſi fuimus, ut prius aliorum circunferamus ſententias, deinceps eam, quam putamus eſſe ueram, & Ariſtotelis: hũc duntaxat ad imitationem nobis propoſuimus, eumq́ue inſequi ſtatuimus, non enim in expoſitorum uerba iurauimus, nec eorum addicti ſententÿs, ut uirum philoſophum decet, qui ob oculos propoſita ueritate cæteris neglectis eam inquirit. Nolumus complures huius temporis philoſophos imitari, qui potius ſe mori paterentur, quàm alicuius dogma, quod ſemper ſecuti ſunt, dimitterent, pluris doctrinam unius interpretis, quàm Ariſtotelis facientes. o dura tempora magis cum barbaris decipi uolentes, quàm cum eruditißimis uiris recte dicere. ſe illuſtres haberi uolunt, dum aliena uituperant, dicuntq́ue nouum & inuſitatũ Peripateticis modum eſſe, quem ſemper uſurpaui in rebus explicandis. Verùm ſciant iſti nouum diſciplinę modum me non inueniſſe, eumq́ue ſemper ſeruaſſe, quem ab eruditis peripateticis uſurpari uidi reliquos omnes peßimos pro ueri inquiſitione & alienos exiſtimans. quandoquidem hac uia progreßi ſunt priſci Ariſt. expoſitores, pro ueritate enim defendenda inter ſe græci altercantur aliorum falſas ſententias reÿciẽtes, & ſuam comprobantes. Aduerſus grauißimos uiros ĩuehitur Simplicius in eruẽdis Ariſtotelis placitis,

placitis, ut contra Theophraſtum, Alexandrum, Eudemum, & cæteros præſtantes uiros. à qua uia philoſophandi nec Ioa. gram. diſceßit ſemper aliena, quę falſa opinatur, oppugnans. ambo etiam inter ſe maxima altercantur contentione, ut unus alteri obijciat & contradicat. Sed quid egemus aliorum auctoritate, cùm nobis teſtimonio ſit Ariſtoteles? qui nunquam in rebus obſcurioribus ſuam attulit ſententiam, niſi ante aliorum falſas reiecerit opiniones, ut unicuique parum in eius doctrina exercitato eſt perſpectum. in primo enim phyſ. ueram de rerum naturalium principijs non ſtatuit opinionem, niſi prius aliorum refellerit ſententias, primo etiam cæli mundi ęternitatem non ſtabiliuit, niſi ante aliorum opiniones deſtruxerit, locuturus etiam in libro de anima de animæ ſubſtantia ſuam non protulit opinionem, niſi aliorum placita confutauerit. Tādem hic tractandi modus inuenitur ſeruatus in omnibus eius libris, quos de naturalibus, diuinis, & moralibus compoſuerit. Verùm utinam hic eſſet iſtorum maximus error, hoc longè maioribus decipiuntur, philoſophiam ſæpe rebus Theologicis temperantes ſolum minutas & anguſtas faciunt altercationes, quæ uerò maioris ſunt momenti & ad rem magis attinentes ab his relinquuntur. Minutos præterea & ferè nullius nominis ſequuntur philoſophos, & qui deterius in philoſophia ſenſerunt, quorum me pudet nomina ſubſcribere. o fata, o tempora, habemus eruditiſſimos uiros & Ariſto. auditores, qui optimè ſtudia philoſophiæ exercuerunt, in eruendisque Ariſtotelis ſententijs diligentißimi & acutißimi, ex græcis neminē excipio, inter Arabes habemus Auerroem, quē ſectemur. apud latinos non eſt quiſquam, quem ſatis firmiter probare auſim: & qui Ariſtotelis ſenſa prorſus ſit aſſecutus, niſi fortaſſe ex parte Diuus Thom. ipſi uerò hos contemnunt barbaris & minimis philoſophis incumbentes, in quorum commentarijs perturbata omnia & inutilibus quæſtionibus referta reperiuntur. iſti magis à riuulis canoſis lacunisque putridis, quàm à purißimis & ſplendidißimis fontibus præſtantißimæ philoſophiæ rudimenta hauriunt. Quare quod ſæpe philoſophiæ ſtudioſos publicè atque priuatim admonui, id iterū exhortor, ut ineruditos fugiant pręceptores, prorſusque ab eorum conſuetudine recedant, nihil enim periculoſius, nihilque magis deteſtandum, quàm eos his imbui, quorum obliuiſci opus ſit. Cum illis

non loquor, quibus propoſitum eſt in latinorum commentarijs conſeneſcere, eorum enim ſalus deſperata eſt, ſed cum ijs, qui adhuc nõ decreuerunt, quibus aſſueſcant. Hos hortor, atque uehementer rogo, ut doctos inſequantur præceptores, abſintque ab ijs, qui alicui expoſitori conſecrati ſunt, ne mala conſuetudo remorata longius ſerpat atque perambulet. Sed quò progreſſus ſum, ut à meo diſcederẽ inſtituto? Sed cauſa fuit huius temporis calamitas, qua diſciplina bonarum literarum ablata eſt, & amor in philoſophiæ ſtudioſos. Nunc ad meum munus penſumque me reuocabo, & quod propoſueram, exequar prius de operis materia differens.

Opinio Olympiodori, & complurium latinorum. Cap. 1.

IN primis nobis occurrit Olympiodori opinio, quam complures latini ſecuti ſunt, inſtitutum ſcilicet huius operis eſſe de elementorum paſſionibus loqui, quæ in ſuperiori plaga generantur. Et ut hæc intelligatur opinio, animaduertere oportet tribus in locis, ait Olympiodorus, tractari, non uno tamen modo, de elementis, nempe in libro de cælo, de gener. & corr. & hìc. diſputatur de elementis in libro de cælo, ut æterna ſunt, in libro uerò de gen. & corr. ut ortui & interitui ſunt obnoxia, hìc uerò, ut quibuſdam ſubijciuntur affectionibus, ac uario afficiuntur modo: nec per affectiones iuxta horum ſentẽtiam primas intelligi oportet qualitates, ut calidum, frigidum, humidum & ſiccum, nec quas motiuas nuncupamus, ueluti graue & leue, ſed quæ elementis aliquo modo inter ſe affectis accidunt, ſunt autem ignis affectiones, ut imagines accenſæ, ſicuti cometæ, ſtellæ diſcurrẽtes, & cæteræ id genus. Aquæ uerò pluuia, grando, nix, & eiuſmodi, quæ humore aqueo conſtant. Aeris & aquæ communes affectiones ſunt iris, corona circa ſolem & lunã, uarij colores, foueæ, & hiatus, quæ in aere aquæ permixto apparent. Sunt uero terræ, ueluti terræmotus, varietasque in eius partibus conſpecta, ut cauernoſitas, ſoliditas, & his ſimiles affectiones. Scopus eſt igitur Ariſto. in hoc tractatu docere elementorum huiuſmodi affectiones, quæ in ſublimi fiunt, nam ſi quæ intra terram

in

in eiuſque gremio produci conſpiciuntur, pręter naturam eas fieri exiſtimandum eſt, ex ea ſcilicet materia, quæ ſuapte natura in ſublimem locum ferri apta eſt, elementa igitur, ut in loco ſuperiori ſecundum has mutantur affectiones, dicuntur eſſe ſubiectum. Hęc eorum opinio rationibus & auctoritatibus aſtruitur. Prima ratio eſt, idem eſt ſcientię ſubiectum & paſſionum, quandoquidem facultas demonſtrat paſſiones de ſubiecto, elemẽta uerò his paſſionibus, quæ hic tractantur, ſubiecta ſunt, ea igitur ſubiectum conſtituere oportet. minor oſtenditur, Ariſto. proponens intentionem ait elemẽtorum eſſe paſſiones, quas eſt uenaturus. idem confirmatur. id ſubiectum eſt facultatis, de quo monſtrantur paſſiones, ut liquet 1. poſte. de elementis affectiones oſtenduntur, quod ex Ariſt. patet, qui 1. meteor. repetens inſtitutum ait accidentia ignis, terrę, & reliquorum, ac eorum cauſas velle inquirere. ſic ait. Quare accidentium circa ipſum ignem, & terram, & cognata his, ut in materiæ ſpecie eorum quæ fiunt, cauſas oportet putare. *Præterea fatetur de mundo, quem dixit quatuor conſtare elementis, monſtrãdas paſſiones. Sic autem inquit.* Qui itaque circa terram eſt totus mũdus ex his conſtat corporibus, de quo accidentes paſsiones dicimus eſſe ſumendum. *& cap. primo perſpicuò liquet de elementorum paſſionibus eſſe inſtitutum. Deinde de ijs habetur hic doctrina, quas nos res meteorologicas nuncupamus, eiuſmodi autem Ariſtot. initio libri uocat elementorum paſſiones, quare de elementis quo ad has affectiones erit ſcopus. Præterea materia proxima, ex qua res meteorologicæ gignuntur, eſt duplex halitus, ut docet Ariſto. humidus ſcilicet & calidus, qui ex aqua euaporat, & calidus & ſiccus, qui ex terra in altũ tollitur, qui ex elemẽtis, e quibus eleuantur, ſpecie non differũt, ſed ſolùm quibuſdam accidẽtibus, ut leuitate & grauitate & craßitie & tenuitate, ut uidetur innuere Ariſt. c. 4. quando ſic ait.* Et eſt uapor quidem potentia, ueluti aqua, exhalatio autem potentia uelut ignis. *Quę igitur iſtorũ dicentur affectiones, eadẽ dici poterunt elementorum, ſiquidẽ ſpecie non ſeiungũtur, affectiones aũt meteorologicæ nõ ſunt niſi halitus illi uario mõ affecti. Conſimili igitur rõne elemẽtorũ dicẽtur affectiones. Additur ẽt quia perfecta doctrina poſcebat, ut de elementis ita affectis ageretur, nimirum hæc reliqua de eis habenda erat ſcientia.*

1. Poſt tex. 76.
1. Meteor. cap. 2.

1. Meteor. c. 4. & ſum. 3. cap. 1.

Opinio improbatur. Cap. 2.

ABHORRET à veritate & ab Ariſt. ſententia hæc iſtorum opinio, tantùmq; abeſt, vt cum eis ſentiamus, vt longè alia ſit noſtra mens, in hac eorum opinione complures reperiuntur errores. Arguuntur in primis in triplici elementorum tractatione, quam triplici loco Ariſtotelem ſcripſiſſe arbitrati ſunt, ſiquidem uerum non eſt in libro de cælo agi de elementis ut æterna ſunt, aliter enim quàm eſſent, de eis fuiſſet diſputatum, quandoquidem ortui & interitui obnoxia ſunt, nec enim maiorem participãt ęternitatem, quàm reliqua omnia, quæ cæli circumflexu comprehẽduntur, quorum ſpecies duntaxat ortus, & interitus eſt expers. Pręterea de eorum generatione loquitur Ariſt. in tertio cæli, veluti in illius initio pollicitus fuerat. verùm de re hac pluribus egimus in ſuperiori Præfatione. Deinde nec verum eſt hìc tractandum eſſe de elementorum paſſionibus, ibi enim de eis habenda erat doctrina, ubi de elementis agitur, quandoquidem eiuſdem eſt officij de ſubiecto & paſſionibus tractare, ut patet 1. poſt. diſſeritur verò de elementis in libro de cęlo, ibi igitur de eorum paſſionibus erat loquendum, aut ſaltẽ in libro de gen & corr. quo ſimiliter de elementis, vt principia ſunt mixti, diſputatur. Deinde eandem reſpicit facultatem tractatio omnium paſſionum, non enim magis de vna quàm de altera in facultate agendum eſt, in libro de cęlo de compluribus elementorum affectionibus diſputatur, vt etiam Ariſto. inſtituerat initio tertij, ibidem quoque de his erat diſſerendum, quas hìc tractari opinio arbitratur, alioquin imperfecta fuiſſet ibi tradita doctrina de eis. Parum etiam fautores huius opinionis ſibi conſtare uidentur, modò .n. elementorũ paſſiones cõſtituũt ſubiectũ, modò ipſa elementa, quæ mutuo diſiunguntur, utrunque tamen eſt falſum, paſſiones cùm accidentia ſint, in facultate ſubiecti locũ obtinere non poſſunt, ſemper enim ſubiectum ſubijcitur accidentibus, quorũ alia non ſunt
1. Poſt tex. 179. *accidentia. Præterea Ariſt. 1. poſt. ſubiectum tanquam alterum à paſſionibus dixit in facultate tractari, quare unum pro altero accipi nequit. Nec elementa ſubiectum eſſe poterunt, quandoquidem hæc in diſciplina meteorologica perinde ac principia ſtabiliuntur, quæ prorſus à ſubiecto ſeiungi oportet, vt nulla ſocietate cum eo cõ*

iungi poſsint, Ariſt. enim 1. meteor. vt materiã conſtituit principia quatuor elemẽta, ergo pro ſubiecto nullo modo ſtatui poſſunt. Deinceps vnitas facultatis ex ſubiecti vnitate accipitur, elementa uerò plura ſunt, & non unum, quare eis nomen ſubiecti non poteſt attribui. cùm ſubiectum, & principia in facultate idem eſſe nequeãt, hoc eorum dictum erit falſum. Accipit etiam vnum hæc opinio, quod à veritate alienum eſt, nempe elementa poſſe tranſmutari eorum non mutata ſubſtantia, ex aliquo intrinſeco accidente, vtputa raritate & denſitate, ſiue tenuitate & craßitie, raritas enim & denſitas primas inſequũtur qualitates teſte Auer. 7. phyſ. non poterit igitur elementis contingere mutatio raritatis & denſitatis, niſi cum ea cõiungatur, quæ eſt calidi, frigidi, humidi, & ſicci, hæc uerò fieri non poteſt ſine ea mutatione, quæ eſt in eorum ſubſtantia, ut in Auicennam Auer. oſtendit 3. cęli. ſunt enim primę qualitates elementorũ propria accidentia, vt ex Ariſt. 2. de gen. & corr. colligi poteſt, qui primis qualitatibus definiuit elementa, in definitione uerò non ponuntur niſi rei principia, aut horum loco propria accidentia. Vnicuique etiam rei proprium eſt aſcribendum accidens, elementis ſolùm hæ qualitates attribui poſſunt, cùm per eas operentur, eiſdemq́; auctis & diminutis augeantur & diminuantur, ſi autem hæc eſt proprij accidentis natura, vt ab eo, cuius eſt, ſeparari non poſsit, niſi & illius ſubſtantia mutetur, ſiquidem effectus mutatio ex ea, quę cauſa eſt, oritur, mutatis igitur primis qualitatibus neceſſe eſt & elementorum ſubſtantiam mutari, eorumq́; intenſis & remiſsis qualitatibus, ſimul & ſubſtantia intenditur & remittitur. Præterea, et eſt Auerrois ratio, ſi elementum in qualitate mutari poſſet ſine ea, quæ eſt ſubſtantiæ, tunc poterit ſine ea qualitate inueniri, in qua diximus fieri mutationem. id quod ſequitur facilè oſtendi poteſt, ſumamus ignem habentem octo caliditatis gradus, ſi conſiſtere eum dicimus ſine vno ſecundum ſubſtantiam non mutatum, par ratio eſt, ut ſine omnibus gradibus inueniatur, ſunt enim eiuſdem rationis ueluti pars & totum teſte Ariſt. primo cęli. ſeruabitur igitur ſine proprio accidente, quod à veritate diſſentit, quare elementa ſine ſubſtantiæ mutatione in primis qualitatibus mutari nequeunt. Quod itaque opinio ſumpſit, falſum eſt. Nec eſt verum res illas meteorologicas ueras eſſe elementorũ paſsiones, eſſent enim accidẽtia, quod

1. Meteor. cap. 2.

7. Phyſ. cõ. 15.

3. cęl. com 67.

1. cęli. tex. 19.

falſum

falſum eſt, ſunt enim ſubſtantiæ, quæ elementorum mixtione conſtant, cometa enim non eſt ſolùm illa combuſtio, ſiue ignis ſplendor, ſed eſt corpus mixtum, vt dicemus, cui combuſtio & ſplendor accidit. Præterea fuiſſet diminutus Ariſt. in lib. de gen. & corr. in elementorum doctrina, ibi enim nõ enumerauit eas paſsiones, quas hęc opinio elementis aſcribit, ſicuti fuiſſet neceſſarium. Decipiuntur etiam huius opinionis autores: non enim eſt uerum tantùm ea tractari, quæ in ſublimi fiunt, ſed & complura alia, vt fontes, maris ſalſedinem, & terræmotus, neque hæc præter naturam gigni putandũ eſt, ſunt enim res naturales, veluti & quę in plaga ſuperiori fiunt, nec refert ſi elementa ui contineantur, quia etiam in mixtis perfectis quodammodo uiolenter coercentur, grauioribus cum ijs, quæ leuia ſunt, permixtis.

Diluuntur opinionis rationes. Cap. 3.

NVNC ſunt ſoluendæ rationes, quas pro opinione confutata retulimus, & prima reijcitur, quoniam vnum accipit, quod paulo ante fuit exploſum, nempe res meteorologicas dici elementorum paſsiones, adeo enim id à veritate abeſt, ut nihil ei magis contrarium eſſe poßit, q̃ ſubſtantiæ vocentur paßiones & accidentia, & in re hac ferè omnes decepti ſunt. Dicimus igitur duplici de cauſa ab Ariſto. uocari elementorum paßiones, aut quia in loco elementorum procreantur longè remoto ab eo, qui eſt mixtorum perfectorum, & proinde res in aere productas aeris uocat paßiones, & quæ in igne ignis. aut quia iſtarum rerum natura propter earum imperfectionem parum ab elementorum ſubſtantia uidetur diſtare, ſunt enim mixta imperfecta, ut paulo inferius dicemus, quæ facile in elementa diſſolui poſſunt, vt eorum magis uideantur paßiones, quàm quæ ex elementis ortum habeant. Secunda ratio ſimiliter falſo innititur fundamento, capit enim halitũ ſpecie ab elementis non differre, nec hæc ambo à rebus meteorologicis, quod nimis eſt abſurdum & à veritate alienũ. halitus enim ab eo, à quo attollitur, elemento differt, veluti mixtum à ſimplici, elementum enim, quod halitum exhalat, ſi iuxta propriam conſideretur naturã, ſimplex eſt, exhalatio uerò mixtum, in ea enim quatuor offen

duntur

duntur elementa, vt patet ex Ariſto. 2. meteor. qui exhalationis 2. Meteor. ſum. 2. cap. 1.
ſpecies referens ſic ait ſunt enim duæ ſpecies exhalationis, vt dicimus, hęc quidem humida, illa autem ſicca, vocatur autem hęc quidem uapor, illa autem ſecundum totum quidem innominata eſt, eo autem, quod in parte, utentes neceſſe eſt uniuerſaliter appellare ipſam, uelut fumum, eſt autem neq; humidum ſine ſicco, neque ſiccum ſine humido, ſed omnia hæc dicuntur ſecundum exceſſum. *ponens igitur duplicem exhalationem, neutrã ſine alterius mixtione conſiſtere opinatus eſt, quare in utraq; quatuor inerunt elemẽta. & paulo infra de humida exhalatione loquẽs ſic ait.* Harum autem quæ quidem humidi plurem habet multitudinem, exhalatio principium pluẽtis aquę eſt. *cùm autem cum comparatione loquatur, innuit alteram ineſſe oppoſitionem in humida exhalatione, licet illius plus, quare cùm uapor calidus & humidus ſit ob eam mixtionem, quam cum altera exhalatione habet, erit ſiccus, non erit igitur ſimplex, & 1. meteor. ſic ait* principium au- 1. Meteor. ſum. 2. cap. 1.
tem & horum, & multorum aliorũ hoc eſt, calefacta enim terra à Sole, exhalationem neceſſarium eſt fieri, non ſimplicem, ut quidam putant, ſed duplicem, hanc quidem magis uaporoſam, illam autem magis ſpirituoſam. *in quibus uerbis cùm ea utatur dictione, magis, & cum comparatione loquatur, ſignificat in uapore exiſtere exhalationem, & in hac vaporem, utranque verò dici talẽ ex ſuperabundantia. Præterea idem ratione poſſumus moliri, nemini eſt dubium in vapore calorem exiſtere, non qui in ſummo eſt, ſed qui remiſſus, eſſet enim purus ignis, omnis verò remiſsio fit merito contrarietatis, vt reliquit Ariſt. 5. phyſ. in eo igitur frigidum conſi* 5. Phy. tex. 19.
ſtet, & cùm ſimiliter in ſummo humidus non ſit, ſicci admixtione erit remiſſus, uapor igitur ſecundum ſubſtantiam idem non eſt cũ aqua, cui ſolum frigidum & humidũ ineſt. Præterea ſi exhalatio cum eo, à quo eleuatur, eiuſdem eſſet ſpeciei, neceſſarium foret concedere halitum à terra ſublatũ eas habere qualitates, quæ ſunt terræ, ab eaque ſpecie non differre, quod falſum eſt, quia exhalatio eſt calida & ſicca, terra verò frigida & ſicca, exhalatio igitur e terra eleuata magis ignis naturam refert, & proinde dixit Ariſto. & eſt locus ab eis adductus, quòd exhalatio eſt potentia veluti ignis, eas enim participat qualitates, quas habet ignis, in huncq; facilè mutatur. Con-

ſimili

ſimili ratione falſum eſt res meteorologicas ab ijs elementis, à quibus ortum trahunt, non differre, vt ignis impreßiones à terra non diſtent, ex qua procreatur exhalatio, unde poſt illæ oriūtur, veluti & quæ ſunt aquæ nō diſcrepant ab aqua. Quorum diuerſæ ſunt operationes, eorundem formæ aliæ, & diuerſæ ſunt, ex operationib. n. dignoſcimus formas, aliæ aūt ſunt exhalationū operationes, & aliæ elementorū, à quibus eleuantur, e terra. n. elata exhalatio ſurſum tēdit, terra uerò deorſum. Similiter de aqua & vapore dici poteſt. Deinde ab ijs, quorum ſunt, principia ſpecie differunt, aliter ſeipſa producerent, elementa harum paßionum ſunt materia remota, exhalatio uerò proxima, ſpecie igitur differunt. Deinceps altera eſt mixtorum ſpecies & ſimplicium, res dictæ meteorologicæ mixta ſunt, vt paulo poſt dicetur, quare cum elementis ſpecie conuenire non poſſunt. Eorum quoque eſt diuerſa ſpecies, quorum alia ſunt accidentia, compluribus accidentibus diſiunguntur mutuo, nempe denſitate, raritate, figura, colore, & motu, quæ in eiſdem ſpecie inueniri nequeunt. Ratio itaq; quæ his innitebatur fundamentis, prorſus diruta eſt. Nec poſtrema ratio aliquod habet momētum, ſiquidem res, quæ hic tractantur, elementorum non ſunt paſsiones, de eis igitur non erant demonſtrandæ.

Opinio nonnullorum, eiuſq; improbatio. Cap. 4.

EST *ſecunda opinio nonnullorum, qui mixtum imperfectum, vt in ſublimi gignitur, ſubiectum eſſe putarunt, intelligentes per mixtum imperfectum quod duobus, aut tribus, & non omnibus conſtat elementis. Aſtruitur iſtorum opinio eo, quod Ariſto. initio libri dixerat, qui intentionem proponens ait eam facultatem ſe traditurum, quam omnes priores Meteorologiam vocant, perinde ac ſi dixiſſet, de ijs ſe locuturū, quę in ſublimi fiunt, quę cum mixta imperfecta ſint, merito ſubiectum cōſtituetur, quod in ſuperiori regione mixtum imperfectum fit. idem confirmatur epilogo, qui in fine huius facultatis habetur, quo ea duntaxat colligun tur, quæ in ſublimi procreantur.* Quæcunque igitur opera accidit

dit exhibere ſegregationem in locis ijs, quæ ſuper terram, tanta ferè ſunt, & talia. *Verùm hæc opinio recta non eſt, multiſque modis à ueritate recedit, in primis enim reijcitur, quia falſum eſt id dici mixtum imperfectum, quod duobus, uel tribus tantùm conſtat elementis, in omni enim mixto quatuor elemēta inueniri neceſſe eſt, ſicuti paulo ante in duplici exhalatione oſtēdimus. in aqua depluta quatuor inſunt qualitates, ergo quatuor elementa, propria .n. accidētia ab elementis ſeparari non poſſunt: cùm autem in aqua ſumma nō ſit humiditas ſed remiſſa, alioquin eſſet elementum ſimplex, aliquid ſicci ineſt, quandoquidem remiſſio ſit merito contrarietatis contrarijque admixtione, ſimiliter cùm in ea ſumma non ſit frigiditas aliquid caliditatis ei inerit. Si igitur in ea duas qualitatum oppoſitiones inuenimus, affirmandum eſt in ea quatuor elementa reperiri, quorum qualitates ſunt paſſiones. Hoc idem ex Ariſto. confirmatur, qui ſecundo de gen & corr. cùm dixerit generationes fieri ex contrarijs, adiecit, ꝙ ubi inexiſtunt altera extrema cōtrariorum, neceſſe eſt altera ineſſe, quare concludit in omni mixto omnia ſimplicia inueniri, nec cum Ioa. gram. ibi ſentio opinante res meteorologicas non dici mixta, ſiquidem ait in eis elementa per iuxta poſitionem ſibi mutuo hærere. Huius enim nos ſumus opinionis verè dici mixta ex addita forma, quæ mixtis aduenit elementis, dici uerò imperfecta alia ratione, quàm putauerint alij, arbitramur, ut paulo infra dicemus. Nec non falſa eſt hæc opinio, cùm modum conſiderandi præceperit, ut ſcilicet in ſublimi ſit, non enim ſubiectum æquale eſſet facultati, nimirum ſtrictius, ſiquidem multa hic tractantur, quæ in ſuperiori regione non producuntur, ut fontes, maris ſalſedo, terræmotus, & eiuſmodi, quæ in terræ viſceribus gigni conſpiciuntur ut etiam Ariſt. in principio propoſuit. Nec quoque huic diſciplinæ modus differendi eſt ſatis accommodatus, quæ enim in ſublimi generantur, etiam à nautis & aſtrologis cōſiderantur, nauta pro temporis mutatione uentos, pluuiam, & grandinem inſpicit, ueluti etiam Agricola, Aſtrologus verò Cometas, facultas igitur hæc eo conſiderandi modo non erit ſeiuncta à compluribus alijs. ratio, quæ pro hac opinione fuit allata, ſoluetur, cùm de inſcriptione loquemur.*

2. de gene. & cor. tex. 49.

Propria opinio. Cap. 5.

ALIORVM reiectis opinionibus modò decet, quæ ſit noſtra mens, exprimere, uerùm quod frequentiſſimè dictum eſt, duas pro ſubiecto uenari oportet partes nempe rē conſideratam, & modum tractandi, pro re conſiderata mixtum imperfectum ſumimus, non eo tamen modo, quo priores, ſed id intelligimus, quod quatuor conſtat elementis, dicitur autem imperfectum, quatenus in eo imperfecta mixtione miſcentur, quare duplici cauſa uocari poſſunt imperfecta, primùm quia in eis non ſeruatur prorſus illa miſcibilium æqualitas, quę requiritur, ut mixtum diu conſeruari ualeat, ſed unum alteri paulo iuſtius dominatur, ueluti conſpicitur in pluuia, in qua plus aquæ quàm reliquorum ineſt, & proinde res meteorologicæ breui abſumuntur tempore. Secunda ratio eſt ob eorū, quæ miſcentur, imperfectam mixtionem, ex quacunque leui cauſa poſſunt diſſolui, mutariq́ue in elementa, ex quibus ſunt compoſita qua ratione eiuſmodi mixtorum forma imperfecta dicitur, non enim in ea perfectam coniunctionem ſocietatemq́; elementa inter ſe coiuerunt, ſed facilè & in quouis eorum minima facta auctione diſiunguntur, & in propriam redeunt naturam. id igitur mixtum intelligi uolumus, cùm de re loquimur conſiderata. nec hæc noſtra opinio rationibus eſt deſtituta. Porrò id ſubiectum eſt, cuius facultas uenatur principia, mixti uerò imperfecti hic principia inquiruntur, maior conſpicua eſt ex modo Ariſto. argumentandi, qui quarto Metaphi. ait de ente fieri ſermonem, quia entis principia indagantur, & 12. eiuſdem inquit de ſubſtantia eſſe theoriam, quoniam ſubſtantiæ principia inquiruntur: minor progreſſu operis patet, quandoquidē Ariſt. 1. meteor. duo ſtatuit principia rerum Meteorologicarum, efficiens, quod dixit eſſe cęlum, & materiale, quod remotius eſt, quatuor elementa, nam eſt alterum materiæ genus, quod proximum eſt, & id duplicem uocat exhalationem ſumma 2. cap. primo. ex huiuſmodi autem materijs eo modo ſibi adhęrentibus, ut diximus, mixta ſolùm ea, quæ imperfecta nominauimus, gigni poſſunt, alius .n. mixtionis modus requiritur pro eorum productione, quæ perfectiora ſunt. Principia igitur hic inueſtigata hanc mixtionis rationem reſpiciunt, illorum ſimiliter inquiritur forma, cùm eorum natura & ſubſtan-

4. Met. tex. 1.

12. Meteo. tex. 1.

1. Meteor. cap. 2.

ſubſtantia declaratur, non enim rectè intelligi poſſunt, niſi formá ſit cognita, quod fit, dum eorum natura explicatur. Nec in his finis eſt negandus, licet ob breuitatem, & rei perſpicuitatem eum interdum Ariſtoteles neglexerit: ſemper enim in ijs, quæ à natura fiunt, eſt ipſum propter quid & finis, ut liquet 2. phyſ. agens enim natura le gratia alicuius operatur, & proinde Auer. ibi nititur in pluuiâ tradere finem, ait enim eam fieri propter meſſes, uerùm quia hic nō videtur finis, cùm boni rationem ſemper non habeat, ſiquidem ex ea interdum meſſes corrumpuntur, ideo alium adijcit, ut æqualitas in elementis ſeruetur, quorum vnius generatio alteri ſuccedit, humidioribus enim temporibus ea, quæ humidiora ſunt, producuntur, calidioribus uerò intereunt: contrariū oppoſitis accidit elementis, quare id aquæ in hyeme generatur, quod æſtate periJt, ſic decus ſalusq; uniuerſi permanet, hic eſt finis primarius, quem in rebus meteorologicis ſtatuere oportet. fiunt autem leuiores impreſſiones, vt quæ leuiora ſunt elemēta, conſeruentur, permanent uerò grauiora paſſionibus productis grauioribus. ſic mundum moderatur, tuetur, ac ornat Deus. Quatuor igitur genera cauſarum in illis reperiri conſpeximus, quæ operæpretium eſt ſciri, ſi eorū perfecta habenda eſt ſciētia. Præterea id ſubiectum dici oportet, cuius ſpecies & partes conſiderantur, ut primo patet poſt. de mixti imperfecti ſpeciebus diſſeritur, res. n. dictæ meteorologicæ, de quibus hic fit ſermo, mixta uocantur imperfecta ob cauſas, quas paulo ante tradidimus, quę omnes cùm ſubiectum eſſe non poßint, ad unū cōmune redigi oportet, quod non eſt niſi mixtū imperfectum, à quo vt à genere complectuntur, ſunt enim duæ mixti imperfecti præcipuæ ſpecies, una eorum, quæ in ſublimi fiunt, altera ea continet, quę intra terræ uiſcera gignuntur, licet & horum quælibet alias habeat ſpecies. Deinde id ſubiectum ſtabiliendum eſt, ut liquet 1. poſt. cuius facultas paßiones indagat, mixti imperfecti affectiones inquiruntur, de accidentibus enim & affectionibus rerum meteorologicarum, quæ mixta imperfecta ſunt, diſputatur. meritò igitur illud ſubiectum ſtatuemus. Nec non doctrinæ ordo poſcebat, ut de eo hìc ageretur, cùm enim in libro de gen. & corr. de mixto in communi dictum ſit, erat deinceps tractandum de eius ſpeciebus, prius autem de ea, quæ natura prior eſt, nam teſte Auerr. in principio libri meteor. ad librum uſque de animali-

2. Phy. cō. 77.

bus Ariſto.ſeruat ordinem ſecundum naturam, imperfectum autem mixtum natura præfertur ei, quod eſt perfectius, quandoquidem natura ab imperfecto ad perfectum progreditur. Fuiſſet etiam diminutus Ariſto. quia nuſquam locorum de tali ſpecie mixti diſſeruiſſet, quod nefas eſt dicere. nemini itaque ſit ambigua hæc noſtra opinio. Cùm autem mixtum impefectum pro re conſiderata acceperimus, addimus conſiderandi modum, ut in ſeipſo habet principium motus & quietis, unus eſt enim partis & uniuerſæ ſcientiæ, hunc ſtatuimus pro tractandi modo in tota ſcientia naturali, idem igitur in hac facultatis parte ſumendus eſt. Verùm ex definitis duæ oriuntur dubitationes. quarum una eſt, ſubiectum ſuo complexu omnia, quæ in facultate tractantur, continere debet, in fine autem tertij de ijs loquitur Ariſto. quæ in terræ uiſceribus gignuntur & mixta ſunt perfecta, ut foßilia & metalla, quorum tractatio diuerſa eſt ab ea, quæ de mixto imperfecto fit. Eſt ſecunda dubitatio, in quarto huius nulla fit mentio de mixtis imperfectis, ſed magis de ijs quę perfectiora ſunt. malè igitur ſubiectum totius & commune uniuerſæ facultati mixtum poſuimus imperfectum. Sed cùm uera ſit opinio, quam retulimus, diſſoluendæ ſunt difficultates propoſitæ. Ad primam reſpondetur, duplicique cauſa aſſerimus Ariſto. in calce tractationis de rebus imperfectis fuiſſe locutum de foßilibus & metallis, cùm enim ante de duplici exhalatione diſſeruiſſet, ac de ijs quæ ex illa oriuntur, ut eorum, quæ ex ea duplici exhalatione procreantur, abſolutam traderet doctrinam, meminit de foßilibus & metallis, quæ ex eodem halitu intra terram clauſo producuntur. Altera cauſa eſt, ut opus operi coniungeret, libroſque de imperfectis & perfectis mixtis connecteret. Secunda ſoluitur dubitatio, quòd quartus liber nihil commune habet cum tribus prioribus, ab illiſq; penitus eſt ſeiungendus, ut etiam Alex. & Ammonius, referente Olympiodoro, dixerint portionem extremam libri tertij & quartum librum diuelli debere à libris meteorologicis. Verùm de re hac in ſequenti pręfatione copioſius dicemus. Hęc hactenus de operis materia.

De

De inſcriptione. Cap. 6.

AGGREDIAMVR modò ſermonem de ĩſcriptione, quę ſecundo loco fuit propoſita. Albertus magnus cognomine opinatus eſt uocari librum Meteor. à meta, quod eſt, trans & teoron, quod eſt contemplatio, ut de ijs hìc fiat contemplatio, quæ ſunt trans, hoc eſt, quæ in alto generantur. uerùm hæc expoſitio mihi non placet, meta enim & trans nullo modo ea ſignificant, quę in alto & ſublimi loco aeris gignuntur. affert ſecundam interpretationem, ut dicatur à meta, quod eſt, de, & teorin, quod eſt uidere, ut de rebus uiſibilibus diſſeratur. Similiter hæc eius expoſitio falſa eſt, nam præter id, quòd inſcriptio id non ſignificat, etiam hìc de multis fit ſermo, quę uiſu non con ciuntur, ut tonitrua, terræmotus, & maris ſalſedo. Quare nos aliter dicimus, quod meteoron id, quod ſublime eſt, ſignificet, logia uero ſermonem. ſiue contemplationem, habetur enim hoc in libro contemplatio & ſcientia rerum ſublimium. Sed oritur dubitatio, nam ueluti dictum eſt, hìc non ſolùm de ijs, quę in loco aeris ſublimi producuntur, diſputatur, ſed ẽt quæ intra terram generantur, duas enim paulo ſupra poſuimus mixti imperfecti ſpecies, quare igitur magis ab ijs, quæ in ſublimi fiũt, liber fuit inſcriptus? in hac re Olympiodori ſententiam non probo, qui à materia rationẽ inſcriptionis accipi arbitratus ẽ, ſuapte enim natura materia, ex qua cuncta, de quibus hic agitur, oriuntur, ſurſum fertur, intra terramq́ue non clauditur, niſi ui. meritò igitur poteſt dici liber ſublimium, quia materia, ex qua gignuntur, quæ eſt duplex exhalatio. ſuapte natura in ſublimem locum fertur. Hęc inquã expoſitio mihi nõ arridet, ut dicatur liber ſublimiũ, quia eorũ materia in ſublimem locum fertur. à re enim ualde extranea ducta fuiſſet inſcriptionis ratio. Deinde licet halitus ſua natura ſuperiorem petat regionem, ea tamen, quæ ex eo fiunt in terræ uiſceribus, ui fieri non dicuntur, ſimili ratione omnia mixta præter naturam gigni oporteret. iccirco nos aliter dicimus, & eſt ſciendũ, ut frequenter dictum eſt, librorum inſcriptionem à multis fieri poſſe, cùm nomenclatio ad rei naturam non attineat, interdum enim à principijs fit, ut liber phyſ. uocatur de principijs, & libe̊r de anima, aliquando uerò ab aliqua affectione, ut de generatione & corruptione liber,

ſępe

ſæpe etiam à ſpecie notiori, ut liber poſt. dicitur de demonſtratione, licet etiam inſcriptionē accipere interdum à ſpecie nobiliori, à qua librum hunc fuiſſe nuncupatum opinamur, duæ enim ſunt mixti im perfecti ſpecies, una eorum, quæ in ſublimi loco oriuntur, & hæc praſtantiora ſunt, altera uerò eorum, quæ intra terram fiunt, à ſpecie igitur nobiliori fuit accepta libri inſcriptio. Additur etiam quia plura ſunt, quę in ſublimi gignuntur, & ideo ait Ioa. gram ꝙ ab ampliori parte huic diſciplinæ nomen imponitur. Et hæc dicta ſint de inſcriptione.

De Diuiſione. Cap. 7.

NOSTRA ſit modò diſputatio de diuiſione operis, uniuerſam facultatem meteorologicam, quam tribus prioribus duntaxat libris comprehendi opinamur, in duas principes partes ſecamus, in procemium, & narrationem, procemium uno tantùm capite continetur, in quo pręter operis inſtitutum etiam epilogus fit eorum omnium, quę hucuſque diſputata ſunt. Narratio uerò multas habet partes, & ab Ariſt. in tres libros diſtr.buta, prima pars porrigitur ad caput uſque quartum, ubi principia rerum meteorologicarum uenatur, multaque diſputat de ſitu & ordine elementorum, ut locum generationis earum inueniat, ait principium efficiens eſſe cœlum, cauſam uerò materialem remotam quatuor elementa, oſtenditque totum id interuallum, quod ab aſtris ad terram uſque protenditur, aeris plenum non eſſe, ſed in ſupremo huius mundi ſublunaris loco eſſe ignē, ſub quo aer locatur, ſub hoc uerò aqua & terra. Conſtituitur ſimiliter materia proxima, quam duplicem halitū dicit eſſe, ſimulq́; eius generationis modus à ſole declaratur. In ſecunda parte, quæ ſumma ſecūda comprehēditur, modus traditur generationis eorum, quę ex calida, & ſicca exhalatione fiunt, ueluti ſunt imagines accenſæ, ut ſydera diſcurrentia, cometæ, & circulus lacteus: ratio redditur ab Olympiodoro, quia hęc igni reſpondent, qui primum omnium eſt elementum, primo igitur loco quæ ei ſimilia ſunt, tractari debebant. Verùm reliquis omiſsis, quæ ex eadem procreantur materia, tanquam inferius explicandis, ſermonem in tertia ſumma aggreditur de ijs, quę ex altero oriuntur halitu,

quan-

quandoquidem manifeſtiora erant, ut pluuia, ros, pruina, nix, grando, & cætera id genus. Reliquum autem erat deinceps ea proſequi quæ ex ſicco halitu producuntur, & quæ prius ob aliquam occaſionem fuere derelicta, quare n principio quartæ ſummæ inſtituit ſe de uentis & flatibus uerba facturum. uerùm quia incidit in ſermonem de fluuijs, quod primò inſtituerat, deſerit, & ſecundum aggreditur loquens de fluuijs, & de aquarum permutatione ad finem uſque primi libri, & propter ſermonis affinitatē in priori ſumma ſecūdi libri de mari, de eius ſalſedine, & perpetuitate diſſerit, reuertitur tandem in ſecunda ſumma ad tractationem de ijs, quæ ex ſicco halitu oriuntur, & de uentis uerba facit. in tertia uero loquitur de terræmotu, in quarta de corruſcatione & tonitruo. In tertio uerò libro eorum proſequitur generationem, quæ ex exhalatione ortum habent, ut de procella, uortice, & fulminib. deinceps rēdit ad ſermonem eorum, quæ ex humido fiunt halitu, quę ex eo quod perſpicua non erant, poſtremo loco fuere pertractata, ut iris, & area. in fine uerò tertij de foßilibus & metallis inchoat tractationem, ut librum libro coniungeret.

De auctoris nomine. Cap. 8.

FVIT quarto loco propoſitum de nomine auctoris, de quo nōnnulli, ut Olympiodorus refert, auſi ſunt ambigere opinantes falsò libros hos Ariſtoteli aſcribi, prolémque adulterinam eius eſſe dicentes, moti nonnullis rationibus, quarum prima eſt. oratio hæc dicendi modum Ariſt. non redolet, diuerſamque formam dicendi hìc uſurpari, quàm ei conueniat, à ſermonis enim facilitate nō receßit, abhorruitque à conſueta diſputandi ratione, & erudito dicēdi genere, eſt enim genus ſermonis aridum & minutum, cùm alijs locis ſententiarum grauitate & uerborum ponderibus ſit uſus, fuitque ei grauis & plena dignitatis dicendi facultas. meritò igitur quis ſuſpicari poſſet libros hos eſſe ſuppoſititios. Additur rationi robur, nam cùm autor inſtituiſſet, de quibus eſſet locuturus, prel Es modum procedendi, ait, de propoſitis hęc dubitamus, hæc autem attingimus quodammodo, qua dicendi figura nullibi inuenimus uſum eſſe: quin etiam in libro de anima nihil tale protulit, ubi incredibi-

lis

lis rei magnitudo atque difficultas inerat, nec philoſophum decebat, qui certas rerum cauſas rimatur. Eſt ſecunda ratio ad hoc idẽ conſtruendum, quæ conſimiliter ab Olympiodoro recenſetur, quod hoc in opere reperitur unum, quod Ariſto. decretis maximè repugnat, & rebus ab eo alibi explicatis, loquens enim in tertio de iride uiſionem per egreſſum radiorum fieri ſtabiliuit, cùm in opuſculo de ſenſibili aliter ſenſerit. Præterea hic traditur, ſolem ſegregatione & attritu aeris, qui ex radijs proficiſcitur, calorem efficere, quod admodum uidetur abſurdum, quandoquidem lumen iuxta Ariſtotelis opinionem corporis eſt expers, repercuſſus uerò & attritus ſolum eſt corporum. Hoc idem alia confirmatur ratione ex circulo lacteo deſumpta, de quo hìc loquens auctor aſſerit ex ſicco fieri halitu, in aereque conſtitui, quod adeo à ueritate alienum eſt, ut nihil abſurdius dici poßit, idem enim ſemper conſpectus eſt, nec aliquo tempore mutatus, eodemque loco nunc cernitur, quo Chaldæi deſcripſerunt, nec unquam paſſus eſt mutationẽ, quod non contingeret, ſi in aere reponeretur. Verùm magna eſt temeritas & audacia ſtultorum & improborum hominum. O admirabilem iſtorum licentiam, ſi enim liber hic à naturali philoſophia eſſet delendus, & ab Ariſtotelis operibus, diminutum eſſe fatebimur virum illum, quem cunctas ſcientias perfeciſſe omnes prædicant, diſciplina enim rerum meteorologicarum deſideraretur. Deinde ſpurium non eſſe Ariſtotelis librum ex proœmio conſtat, quod huic uolumini præponit, in quo quæ dixerat in alijs libris, de quibus nulla eſt ambiguitas, repetit. Præterea inſtituit uniuerſæ ſcientiæ naturalis finem, quem cùm attigerit, finem hiſtoriȩ de natura imponit, cùm igitur eo ordine, quẽ hìc propoſuerat, proceſſerit, quilibet poteſt conijcere id opus eſſe Ariſtotelis. Nec rationes, quæ ab illis afferuntur, ſunt alicuius negocij, & ab Olympiodoro diluuntur. Ad primam igitur reſpondetur negamus nulla hic Ariſto. uti obſcuritate, licet ſi orationem reſpexerimus, faciliori inceſſerit uia, eo quod de rebus ſatis ſingularibus egit, quibus facilitas orationis maximè eſt neceſſaria, non adeo tamen à conſueta philoſophandi uia diſceßit, quin ſententiarum & rationum obſcuritate uteretur, & fortaſſe hic obſcurius quàm in libris de anima, ut nobis indicio ſunt uerba exordij, quando dixit ſe de aliquibus dubitare, alia uerò quodammodo attingere, faciliora

tamen

tamen intellectu uidentur quæ de anima dicta ſunt, inquit Olympio dorus, ob ſimilitudinem inter id quod intelligit & quod intelligitur, anima enim ibi animam cognoſcit. Soluitur ſecunda ratio, id non eſſe præter Ariſto. conſuetudinem, ut de aliqua re in alieno loco aliter ſentiat, quàm ubi eſt ſuus tractandi locus, quando enim ex propoſito rem non diſcutit, uulgarem & peruagatam ſequitur opinionē eoq́; ſermone, qui eſt multis in ore, utitur, de uiſione ſuus diſſerendi locus nō eſt hic. ſed in libro de anima, & de ſenſibilibus, ubi propriā aperit ſententiam, uiſionemq́; per intra miſsionem fieri docet. Olympiodorus eodem pacto ſoluit dubitationem de productione caloris à Sole. poſſumus etiam dicere ut Ariſtoteles nomine attritionis & repercuſsionis latè uſus fuerit, cùm propriè ſit corporum. Ad id quod de Circulo lacteo allatum eſt reſpondens Olympiodorus ait certā nō protuliſſe de eo ſententiam, ueluti nobis uerba exordij id uidentur ſignificare, quando dicitur de aliquibus dubitabimus, alia uerò attingemus, ob circulum lacteum id fuiſſe dictū putat. Verùm hæc expoſitio mihi ambigua eſt, locuturus enim Ariſtoteles de circulo lacteo aliorum prius reijcit opiniones, rōnibusque deinde confirmat ſuam ſententiam, quam non dicendum eſt attigiſſe, ſed conſtanter credidiſſe. Et ideo negamus abſurdum eſſe circulum lacteum fieri ex ſicco halitu, in aereq́ue conſiſtere, licet me non fugiat in re hac multas exiſtere difficultates, quas alibi cùm maiorem nacti fuerimus occaſionem, diſſoluemus.

De Vtilitate. Cap. 9.

SVPEREST modò alijs explicatis, ut de operis utilitate diſſeramus, hæc eſt enim hominum cōditio, ut nunquā rem aliquam aggrediamur, niſi alicui uſui fore cognouerimus, utilitasq́ue laborem omnem uincit. Multæ autem ſunt utilitates, quas ex hac facultate accipimus, una tamen primaria eſt, quoniam ea pro comparanda felicitate, quam contemplatiuam nuncupamus, adiuuamur; eſt enim pars ſcientiæ ſpeculatiuæ, in qua, ut in prima diximus præfatione, felicitas ſpeculatiua cōſiſtit. Sine hac igitur parte intellectus ſuam non adipiſcitur perfectionem. eſt etiam nobis magno uſui multis in rebus, plurimùm medicę facultati

conducit, quæ ſiue ſanitatem tueri uelit, ſiue morbis mederi, præſtat quam maximè aeris qualitates dignoſcere, & temporum mutationes, & regionis ſitum proſpicere, expedit etiam uentorum flantium naturam, fluuiosq; decurrentes, & terræ ſpeciem noſcere, an ſit arenoſa, cænoſa, & cuius facultatem referat, ſic enim futura precauebit, & quæ præſentia ſunt, abijciet, quorum diſciplina his comparatur libris, neque enim ad ſanitatem parum confert ſitus locorum, pro qua tuenda & recuperanda non regio tantùm, ſed regionis locus eligi debet. Si mihi cura alicuius ab ipſa infantia commiſſa foret, ex regionibus eam eligerē, quæ Siciliæ eſt, in qua ualida temporis mutatio non ſentitur, eſt quoque huius rei inditium fertilitas & rerum omnium abundantia, ut non deſit copia, boum, ouiū, ſuum, & auium domeſticarum, atq; ſilueſtrium, locupletiſsima eſt etiam mellis, olei, & uini, tritici uerò tantum in nulla alia regione inuenitur ut uerè dici poſsit, uniuerſe italiæ horreum, cuius nullum eſt oppidum, cui regio hæc copiam frumenti non ſuppeditet, nimia etiam fructuum ubertate plantæ laſciuiunt, ex mineralibus uerò nullum deeſt, & ut uno uerbo complectar, nihil eſt, quod humano generi neceſſarium ſit, ad uitamque conferat, cuius maxima copia hic non ſit. Pro regione igitur Siciliam admodum probo. Locum uerò commodiorem nullum habemus in tota hac regione Meſſanæ Ciuitate, in qua perpetua eſt aeris temperies, & habitatio ſaluberrima, quod rarò maritimis uſu uenit, in primis autem tempore æſtiuo, quo à polo ſeptētrionali flant uenti plurimum ſalubres & aeris temperiem afferentes, Ciuitas etiam, ueluti decet, uerſa eſt ad orientem ſeptentrioni aliquantulum patens, habet autem partem ſublimiorem, montibusque poſitam, quæ ad occidentem uergit, quæ uerò ad mare uerſa eſt humiliorem. Meridionales uerò uenti imbecilliorem quàm in alijs regionibus, habent uim, & frequentiſsimè frigidiorem faciunt aerem. Huic demùm nihil eorum, quæ ſanitati conſeruandæ, uitæq; prorogandæ neceſſaria ſunt, deficit. Preter cætera eſt genus piſcis, quo æſtatis tempore hic ueſcimur, alibi uero rarum inuētu, in cuius eſu mirifica tum ſuauitas tum delectatio eſt, ad ſimilitudinem autē Spathæ, quam in fronte gerit, Spatha nuncupatur. Sunt autem infantes, qui hanc colunt Ciuitatem, natura peracuti, & prudentes & ſe omnium diſciplinarum peritiſsimos fore oſtendunt. Hactenus de

hac Ciuitate illuſtri admodum,& uirorũ conſpectu ornatiſſima. Ad rem noſtram reuertamur, medicus itaq; huius facultatis, à qua multa perdiſcat, eget præſidio. Ab eadem nõ parum emolumenti Aſtrologus capit, qui ex cometis & terræmotibus futura prædicit, diuinationesq́ue rerum exercens bella, & principum exitus prænoſcit. Nec Moralis philoſophus ſuo eſt destitutus auxilio, plurim ùmq́ue huic diſciplinæ debet, traditur enim hic in mundo hoc inferiori nihil ſemper ſtabile & firmum permanſurum, omneq́ue fragile & caducum eſſe, ut quod ante fuerat mare aridum ſit euaſurum, montes uerò recipere planitiem. Cognoſcuntur etiam uarij rerum caſus, & incerti euentus, quę cùm Moralis perceperit, rebus humanis & mutabilibus non confidet, quinetiam appetitus compeſcet, animamq́; uirtutibus exornabit. Hæc quoque doctrinà nautis, & Agricolis auxiliatur, illi enim facilè uentos uehementes & immoderatas præcognoſcent tempeſtates, iſti uerò tẽporum uarietates, cœliq́ue mutationes, quęque ſegetibus ſit tempeſtas euentura. Nulla tandem eſt ars, nullaq́ue facultas, quæ ab hac diſciplina non expoſcat auxilium. Alacri itaque lætoq́ue animo quilibet pro ea capeſſenda conari debet, nulliq́ue labori parcendum. Et de quarta Præfatione hæc ſint ſatis dicta, ad quintam pertranſeuntibus.

Quarta Præfationis finis.

ASCANII COMITII PRAEFATIO.

QVINTA,

IN LIBRVM QVARTVM VOCATVM Meteororum.

Autoris inſtitutum proponitur.

QVIS eſt tam uecors, qui cùm rerum naturas ordinemq́ue reſpexerit, Mundum Dei prouidentia ad miniſtrari non cognoſcat? huncq́; rebus humanis non ſolùm vniuerſis, uerùm etiam ſingulis conſulere? Vnicuique apertum perſpicuumq́; ſit, nemi nem magnum ſine aliquo afflatu diuino unquam fuiſſe. Rectè admodum hominum rebus Deus perſpexit, tùm naſci Ariſtotelem permiſerit, à quo tot commoda nobis dari & impartiri uidemus, in quo procreando natura omnes ferè uires conſumpſit: hic nemini ſecundus, ab eoque ſecundus plurimum diſtat. Quis unquam plura in communem utilitatem hominum attulit? Cui maior gratia eſt habenda? hic ut ueritatem tenebris inuolutam aperiret, maximè elaborauit, remotus ſemper ab odio & amicitia ab omniq́; animi affectu, ut uirum decet philoſophum & veri amatorem. Nemo unquam naturæ ſecreta & quæcunq; cæli conplexu continentur, ſubtilius rimatus eſt, hic Rethoricæ præcepta tradidit omnibus numeris abſoluta, à quo poſteriores, quicquid boni dixerint, acceperunt. Patefecit, quę ad Poeticam ſpectabant, utinam aliqua non deſiderarentur, quæ ſe edidiſſe fatetur. Monimēta reliquit logicæ, eamq́ue in artem redegit, quæ ante eius tempeſtatem rudis & impolita erat. Vniuerſam etiam Dialecticam complexus eſt, hic tandem acri iudicio ſummaq́ue breuitate Moraliũ, Naturalium, & Diuinarum rerum tradidit diſciplinam, resq́ue omnes eo ſtudio ac uigilantia deſcripſit, ut nō modo doctiorem, ſed nec

omnino parem quenquam habuerit. Quare nullũ gloriæ, nullum honoris præmium eſt, quod non illi meritò tribuendum ſit. ſed quo progreſſus ſum? Quintæ præfationis rationem reddere inſtitueram, uerum noſtra oratio ad hunc deducta eſt locum, ut philoſophus ſe plurimùm à Deo diligi, ſentiat, eumque omnium rerum eſſe moderatorẽ optimeq́; de genere hominum mereri. Nunc me reuoco ad id, quod propoſueram, & quę in poſterum tractaturus ſum, ponam. Quatuor hic diſputare decerno, quorum primum eſt quod inſtitutum ſit Ariſtotelis in libro quarto vocato Meteororum, quęque ſit eius materia. Alterum de ſede & loco eſt, qui huic operi aſcribendus ſit. Tertium Diuiſionem inſpicit. Poſtremum verò ad utilitatem attinet.

Alexandri opinio refertur. Cap. I.

NE à noſtro conſueto philoſophandi more diſcedamus, de ſubiecto diſputaturi prius aliorum receẽſebimus opiniones, in primis Alexandri ſententia nobis occurrit, cuius mens licet uario modo ab eius expoſitoribus interpretetur, nos eam illius opinionem arbitrabimur, quæ ab Olympiodoro initio libri Meteororum refertur, quòd ſcopus præſentis voluminis de compoſitis ſiue mixtis, quæ elementis conſtant, extet. nec nobis obſtat, ſi hic in exordio dixerit inſtitutum eſſe de ijs, quæ ex primis qualitatibus efficiuntur, earum intelligens actiones & paſſiones, intentionem enim, quæ primaria eſt, non prodidit, hanc enim ob cauſam, teſte Olympiodoro, dixit Alex. hunc quartum uocatum Meteororum eſſe iungendum libris de gen. & corr. quandoquidem illi de elementis diſſerunt, hic verò de ijs, quæ ex elementis componũtur: quare iuxta Alexandri ſententiam ſubiectum huius uoluminis erit mixtum in communi, quòd elementorum mixtione efficitur. Pro hac opinione non deſunt rationes, quarum prima eſt, initio huius operis Ariſtoteles complura de qualitatibus repetit, quæ in libro de gen. & corr. ad elementa relata ſunt, ergo ne eum ſuperuacaneum eſſe quis ſuſpicetur, fateri cogimur propter mixta hic de eis diſſeri, aliter idẽ fuiſſet bis declaratũ. Pręterea cùm opus hoc illud ſequatur, quod de gen. & corr. inſcribitur, operæpretiũ eſt, hic de mixtis tractari, quia ibi de elementis, quę mixtorũ principia ſunt, fuit diſputatum,

tũ ſiquidē de cõpoſitis tractatio ei proxima eſt, quæ de initijs. Deinde illud eſt ſubiectũ, cuius principia facultas inquirit, eſt enim oſtēdendi modus, quo Ariſt. utitur 4. Meta. cùm de ente ſermonem fieri monſtrauerit, quia principia entis indagantur, hic uerò mixti corporis largiuntur principia, in initio uerò quatuor accipit elementa, quæ ex primarum qualitatum coniugatione fieri aſſerit, hęc autem mixti principia ſunt. Præterea id ſubiectum eſſe vnuſquiſque cōfitebitur, cuius facultas uenatur affectiones, ut 1. poſt. liquet, tractatur verò hic de mixti paſſionibus, ut generatio, corruptio, & concoctio, quanquam & libro de gen. & corr. de ortu, & interitu dictum eſt, ibi tamen ut elementis inſunt, hic uerò ut mixtis. Deinceps concoctio in ijs duntaxat inuenitur, quæ ex elementis procreantur, agitur etiam de concretione, quæ eiſdem tantum accidit. Patet igitur mixtum eſſe ſubiectum.

4 Metaph. tex. 1.

Opinio improbatur, rationesq; ſoluuntur. Cap. 2.

HAEC autem Alexandri opinio recta non eſt, pace eius dixerim, pro ueritate enim nemini parco, & primùm arguitur, ꝙ tunc liber hic eſſet præferendus facultati meteorologicæ, quandoquidem hic de mixto communiter agitur, in libris uerò meteororum de mixti ſpecie nempe de imperfecto mixto, ut in priori Præfatione diximus, uniuerſa uerò ſingulis præponuntur, id autem tãtum abeſt à ueritate, vt nihil abſurdius, ut patebit cùm de ordine loquemur. Præterea nec erat neceſſarium hìc agi de mixto poſt tractationem de elementis, quoniam in libro de gen. & corr. pleniſſimè de eo fuit facta oratio, in quo vt in tertia conſtitit Præfatione, mixtum in communi operis materiam poſuimus. idem igitur duobus in locis fuiſſet tractatũ. Deinde tũc librũ hunc conſequerentur libri Meteororum, quod falſum eſt, nam in calce huius quarti Ariſtotel. pollicetur ſe tractaturum de animalibus, & plantis, quare de his tractatio proxima eſt huic uolumini: quod uerò intulimus, oſtēditur, diſciplina meteorologica pręcedit eam, quæ eſt de animalibus & plantis, veluti mixtum imperfectum natura prius eſt eo, quod eſt perfe-

perfectius, ordo igitur quē Ariſt. cōſtituit in his libris non ſeruaretur. Præterea ſi de communi mixto fieret ſermo, tunc paſsiones hìc declaratę omni competerent mixto. ſi quidem prędicata generis omnibus inſunt ſpeciebus, id autem eſt falſum, quia res meteorologicę concoctione & concretione, de quibus hìc fit mentio, non procreantur, ait enim Auer. initio libri Meteor. ꝙ res meteorologicę non inueniuntur à complexione, cuius agens ſit decoctio. Deinde in fine huius operis Ariſt. fatetur ſe egiſſe de partib. ſimilaribus, ergo non de mixto cōmuniter. liquidò igitur oſtenſum eſt falſam eſſe hāc Alex. opinionē, rationes uerò facilè dilui poſſunt. Ad primā reſpōdetur, non mixti uniuerſi gratia, ſed magis partium ſimilarium, ut dicemus, multa hìc de elementis repeti, conducunt etiam quàm maxime partium ſimilarium productioni primæ qualitates, earumque actiones & paſsiones. Decipi Alexandrum quoque dicimus, cùm aſſerit qualitates principaliter propter elementa fuiſſe tractatas in libro de gen. & corr. in tertia Præfatione mōſtrauimus tum qualitates, tum elementa propter mixtum conſiderari, ꝙ ibi ſubiectum conſtituimus. Secunda ratio falſæ innititur radici, accipit enim librum hunc proximè poni poſt librum de gen. & corr. quod à ueritate abhorret, ut paulo infra patebit. falſum eſt etiam in eo libro agi de elementis, ut aliàs oſtendimus. Dicimus etiam quòd licet elementa, de quibus hìc aliquo modo diſſeritur, mixti uniuerſi ſint principia, poſſunt quoque ad mixti ſpecies perinde ac principia referri. quare hìc non ut totius mixti principia ſunt, conſiderātur, ita enim de eis fuit diſputatum in libro de ortu & interitu, ſed ut partium ſimilarium principia, quæ mixti pars ſunt. Ad alteram ſimiliter reſpondemus, quòd affectiones hic explicatæ non ſunt communiter cuiuſque mixti, alioquin rebus ineſſent meteorologicis. ſed eorum, quę perfectiora ſunt: licet igitur eius ſint affectiones, quod mixtum eſt, non cuiuſlibet tamen mixti, ſed eius quod concoctione & concretione generatur, quo modo non ſe habet omne mixtum. Falſum eſt etiā in libro de ortu & interitu fuiſſe tractatum de generatione & corruptione, ut elementis tantùm inſunt, definitio enim de generatione ibi tradita etiam mixto competit, cuius principaliter affectiones ibi inquiruntur. in re hac itaq; Alexandro non eſt adhærendum.

Opinio

Opinio latinorum. Cap. 4.

EST. ſecunda opinio latinorum aſſerentium ſubiectum huius voluminis eſſe mixtum perfectũ, quod ſpecies eſt mixti communis, rationibus nonnullis nituntur hanc opinionem aſtruere. Prima eſt, ordo doctrinæ efflagitabat, ut hìc de mixto perfecto ageretur, dictum eſt enim in libro de ortu & interitu de mixti vniuerſi generatione, in libris uerò meteor. de mixto imperfecto, conſequẽs erat, ut de altera ſpecie mixti, quod perfectum eſt, fieret ſermo, ſic enim ordine doctrina procedet à prioribus ſcilicet ad poſteriora natura. Præterea ut paſſim dictum eſt, id eſt ſubiectum, cuius affectiones facultas uenatur, mixti perfecti hìc traduntur affectiones, ut concoctio, concretio, durities, mollities, & cæteræ id genus. quare materia erit mixtum pèrfectum. Deinde hìc Ariſto. corporis terminati inquirit paſſiones vt conſtat tex. 29. ergo de perfecto mixto, quod ſolum dicitur terminatum, uerba facit. Deinde id doctrinæ ordo poſcebat, in poſterum enim de ſpeciebus mixti perfecti erat faciendus ſermo, nempe de Mineralibus, & ijs, quæ uitam habent, ergo prius erat agendum de eorum genere, uniuerſa. n.
3. Phy. tex. 2. tractatio ei, quæ propria eſt, præponitur, ut Ariſto. 3. phyſ. monimentis tradidit.

Opinio improbatur. Cap. 5.

VERVM huic opinioni ego quidem non aſſentior, quinimo eam funditus deſtruere conabor, uerámque non eſſe oſtẽdam, & ſic primum monſtratur: Ariſto. in calce tertij libri meteor. cùm dixiſſet intra terram ex duplici exhalatione, ex qua ſimiliter res meteorologicæ extra terram oriuntur, foſſilia & metalla gigni, & id quidem communiter, ait in poſterum ſingulatim de eiſdem ſe tractaturum, non uniuerſè igitur de mixto perfecto habetur doctrina, ſed magis ſingulariter: hic autem liber proximus ad tertium collocatur, ut hic ſit intelligendus, quando poſterius de mineralibus Ariſto. pollicetur ſe locuturum, & proinde tex. 42. cùm de metallorum generatione diſſereret, ait in alijs ſe dixiſſe ex dupli ci exhalatione ea produci, intelligit enim tertium librum. tractatio

igitur hæc magis de ſingulis dicenda eſt, quàm de uniuerſo mixto. Præterea ſi communiter de quocunque perfecto mixto fieret ſermo de diſsimilari quoq; diſſereretur, quod falſum eſt, de eo enim in calce huius inſtituit ſe tractaturum, nec enim ſatis erat de ſimilaribus fuiſſe diſputatum, quia oratio hìc de ſimilaribus facta nihil ad diſsimilarium ferè notitiam confert, licet ut ex materia ex ſimilaribus componantur, & tex. 48. Ariſto. ſimilarium partium largitur paſſiones. Præterea ſi de perfecto mixto uniuersè fit ſermo, eſt neceſſe de ſpeciebus poſterius diſſeri, & primùm de Mineris, quarum diſciplina ei, quæ eſt de Animalibus & plantis, eſt præferenda, id tamē Ariſtoteli repugnat, qui in fine huius proponit de animalibus & plantis ſe locuturum, innuit igitur ſe tractaſſe de Mineralibus, cùm de his non meminerit, & poſt hunc librum doctrinam de animalibus & plantis ſtatuerit. Deinde eſt quoque diminuta hæc opinio, nam ut dictum eſt in prioribus Præfationibus, duæ in ſubiecto ponuntur partes, res cōſiderata, & tractādi modus, mixta etiam perfecta ab alijs compluribus facultatibus conſiderantur, quare addendus erat diſſerendi modus. Hæc itaq; opinio à ueritate abeſt, nec rationes aliquod habent momentum, ut paulo poſt oſtendemus.

Ioan. gram. & Simplicij opinio, eiusque improbatio. Cap. 6.

IOAN. gram. diuerſam à priorib. promit opinionem, ueluti liquet in exordio libri phyſ. & libri de gener. & corr. & præcipuè in primo Meteor. quibus in locis ait de metallis eſſe inſtitutū, per metalla intelligēs, quæ ex duplici exhalatione intra terrā oriūtur, quę in primo meteor diſtinguens vocat foſsilia, & metalla, Ariſt. ēt interdū, ut patet in hoc quarto tex. 48. exorta intra terrā ex duplici halitu vocat metalla, propriè tamē mineralia dici debēt. quare de Mineralib. huius operis eſt ſcopus. eādē inſequitur ſentētiā Simpl. ut monimentis reliquit in proœmio libri phyſ. & de cœlo. Pro hac confirmanda opinione non deſunt rationes. prima ex calce tertij libri meteor. depromitur, ubi cùm Ariſto. communiter locutus eſſet de Mineraliū generatione, poſterius ſe tractaturū

S ſingu-

ſingulariter pollicetur, quare hìc ſingularis de mineralibus habetur tractatio. Minerale igitur eſt ſubiectum. Præterea tex. 48. Ariſtotel. cùm ſimilarium corporum inquireret paßiones explicans quid per ſimilaria ſit intelligendum ait metalla, ut æs, aurum, argentum, lapides, & cætera id genus. de metallis igitur eſt intentio. Præterea id eſt ſubiectum, cuius affectiones inquiruntur, rerum mineralium facultas hæc venatur affectiones, nã que Ariſto.tex. 30.inſtituit de corporis terminati paßionibus ſe locuturum, ut de concretione, fuſione, exiccatione, & humectatione, quæ mineralium ſunt affectiones, quandoquidem concretione producuntur, & fuſionem patiuntur, & ideo poſterius agit de concretili, liquabili, & his ſimilibus, quæ propria ſunt mineralium. Præterea generatio & corruptio, quarum eo libro traduntur definitiones, ſolùm ijs inſunt, conſimili ratione concoctio, nemini itaq; eſt de re hac locus dubitandi. Ad hæc idem poſſumus moliri ijs, quæ Ariſt. in fine huius operis dixerat, de quibus in poſterum ſit dicturus proponens ait, de animalibus & plantis. Quare uerborum ui cogimur fateri librum hunc eſſe de Mineralibus, ſiquidem cum proximè conſequuntur de Animalibus libri, ſic etiam res naturæ ſunt conſtitutæ, ut mineralia præponantur animalibus. Deinde ſi liber hic de Mineralibus non diceretur, tunc de eis doctrina poſtremo loco philoſophiæ naturalis eſſet collocãnda, quod ſic oſtenditur teſtimonio Ariſtotel. in fine huius operis, qui dixit adhunc librum proximè conſequi libros de animalibus, quare poſt libros de animalibus & plantis is poneretur, qui eſt de Mineralibus, quod à veritate alienum eſt. Verùm hæc opinio quamuis ad veritatem propius accedat, uera tamen prorſus non eſt, eiq; ſic inſtamus. æque facultatem atq; ſubiectum latam eſſe oportet, nec amplioris ambitus, in hac verò ſcientia complura alia præterquam mineralia continentur ac differuntur, quod ex Ariſt. liquet, tex. enim 48. de ſimilaribus inſtituit ſermonem, in quibus non ſolum metalla, uerumetiam partes animalium & plantarum enumerat, quarũ omnium affectiones uenari pollicetur, & tex. 54. ait de ſimilaribus omnibus partibus ſe tractaſſe. Præterea in fine teſtatur ſe uniuersè dixiſſe de ſimilaribus proponens ſe in poſterum locuturũ ſingulariter. ſic autem inquit. Quoniã igitur habemus cuius generis unũ

quodq;

quodque eorum, quę ſimilarium partium, accipi endū ſecundū ut ſiquodq; quid eſt, ut quid ſanguis, aut caro, aut ſemē, & aliorum unumquodq;. *fuiſſet etiam diminutus in animalium & plantarum ſcientia, non enim in his partium ſimilarium generationem docuiſſet, ait enim ibidem ſimilares partes elementis conſtare, modum uerò generationis non tradidiſſet, quod ſummopere erat neceſſarium fiunt enim concoctione ac concretione, de quibus hic meminit, & proinde 2. de partibus animal. breuiter repetens quę hic de ſimilaribus præceperat ait, de his aliàs ſe dixiſſe.* Sed de his planius alio loco definitum à nobis eſt, ſcilicet quę nā concreſcere apta ſint, & quibus cauſis ſtringantur *hunc autem intelligit librū. Quare perſpicuum eſt hanc tractationem plurimùm conferre ad animalium partes hancq; ob cauſam præter alias de eis fuiſſe dictum. Verùm huius opinionis falſitas inferius magis conſtabit.* 2 d. partib. anima. c. 2.

Opinio propria. Cap. 7.

SVPEREST modò cum aliorum reiecerimus opiniones, ut noſtram afferamus, & quam ueram eſſe putamus, quare cum Olympiodoro & Auer. ſentimus de corporibus ſimilaribus fieri ſermonem vniuersè aſſerentibus. Et ut hæc intelligatur opinio, noſcere oportet ſimilare differre à diſſimilari teſte Ariſtotele initio de hiſtoria animal. nam diſſimilare dicitur, cuius partes aliud nomen aliamq; rationem habent, quàm totum, veluti manus, & caput. Similares verò partes idem cum toto retinent nomē, & eandē rationē, ut caro & os. præterea eſt dignū animaduerſione, quod id quod ſimilare dicitur, duplex eſt, alterū animā includit, ut animalis & plantarum partes: alterum vitæ expers, ut mineralia: per ſimilare uerò id præterea intelligi uolo, quòd præter id quòd partes habet, quæ eiuſdem ſint rationis & nominis, etiam elementis conſtat, ne quis cælum & elementa accipi putet, quorum partes etiam eandem ſapiunt naturam. ait igitur Olympiodorus de ijs hic diſputari, quæ ſimpliciter in partibus ſui conſimilia ſint. quare corpus ſimilare ſimpliciter & vniuerſaliter conſideratum eſt ſubiectum, ut animatis & inanimatis eſt commune, quod rationibus & autoritatib. monſtrari poteſt. ordo doctrinę poſcebat, vt alicubi de partibus ſimila-

ſimilaribus cuiuſq; generis, ut concoctione gignuntur, diſſereretur, alioquin de natura ſcientia eſſet diminuta, huic uerò tractationi alterum aſcribere librum niſi hunc non poſſumus, quare de his agi partibus affirmandum eſt, & proinde Ariſto. ut paulo ſupra diximus, 2. de partib. animal. ait ſe dixiſſe alibi quomodo partes concreſcant, & intelligit hunc librum. Præterea id eſt ſubiectum, cuius facultas inquirit affectiones, indagantur hìc ſimilaris corporis paßiones, putrefactio. n. de qua in principio agitur, partib. cõpetit ſimilarib. merito quarũ & dißimilarib. Deinde Ariſ. initio huius quatuor ſumit qualitates, quarũ duas ait eſſe actiuas duas uero paßiuas, ex quibus generationem fieri aperit, in eaq́;, ut in definitione patet, omnes conſtituit qualitates, nec de exhalatione unum facit uerbum. accipit igitur principia non quæ propria ſunt mineralibus, ſed quæ in omnibus ſimilaribus inueniuntur. Similiter communiter locutus eſt de cõcoctione, qua nec res meteorologicæ teſte Auerroe initio libri meteor. nec tantùm mineræ procreantur, ſed uniuersè res omnes ſimilares. Deinde cùm in principio Ariſt. de actiuarũ qualitatũ operationib. & paßiuarum ſpeciebus inſtituiſſet loqui, & iam de primo egiſſet. tex. 28. proponit ſe de paßiuarum ſpeciebus tractaturum, intelligens corpora, quæ ex paſsiuis nempe ex humido & ſicco ortũ habent, quæ in primis molle & durum ſunt, hæc autem partes ſunt ſimilares, quæ primò ex paßiuis conſtituuntur, quarumq́; durities & mollities, quas primas inexiſtere terminato dixit tex. 29. ſunt primæ paßiones. Hæc igitur oratio quodcunq; reſpicit ſimilare. Præterea tex. 30. cum accepiſſet corpus terminatum, de quo erat ſermo, eſſe durum aut molle, ſimulque concretum, de concretione proponit ſe dicturum, & rationem adijcit, quia omnia corpora & compoſita & terminata non fiunt ſine concretione. quare de eo corpore hìc agitur, quod concretione gignitur, ita ſe habet corpus ſimilare, quod & terminatum dicitur, & durum aut molle, & ſine concretione fieri non poteſt, ſimulq́ue liquefactionem, exiccationem, & humectationẽ, de quib. ſimiliter ait ſe dicturum, patitur. Si igitur de ijs, quę cõmuniter inſunt omnib. partibus ſimilaribus, agitur, de corpore ſimilari eſt intentio. Nec huic Ariſt. refragatur, quinimo idẽ ipſe ſentit. tex. nanque 42. cùm multa de calido, frigido, humido & ſicco dixiſſet, merito quorum concretionem & liquefactionem fieri

2. De partibus animal. cap. 2.

oſtendit & de ijs, quæ eas patiuntur affectiones, hæc intulit uerba. Ex aqua igitur & terra ſimilarium partium corpora cōſtant & in plantis, & in animalib. & quæ metalla ſunt, ut aurum & argē tum, & quęcunq; alia talia. *paulo deinceps infra adijcit.* His itaq; differt os & caro, & neruus, & lignum, & cortex, & lapis, & alio rum unumquodque, quod ſimilarium quidem partium, natura lium autē corporum. *affert deinde cōplura, quib. partes ſimilares inuicem ſeiunguntur & penes ſenſum, & penes paßionem. Liquidò igitur conſtat de ſimilari corpore, cuius complexu mineralia, animalium, & plantarum partes continentur, Ariſtotelem uerba facere. tex. præterea 48. traditis paßionibus, & differentijs ſimilaria corpora colligit.* His autem paſsionibus, & his differentiis ſimilaria corporum, ſicut dictum eſt, differunt abinuicem ſecundum tactum, & adhuc ſaporibus & odoribus, & coloribus. *Explicans deinde quid per ſimilaria intelligat ſic inquit.* Dico autem ſimilaria ut metallica ęs, aurum, argentum, ſtamnū ferrum, lapidem, & alia talia, & quæcunque fiunt ex his excreta, & quæ in animalibus, & plantis, uelut carnes, oſſa neruus, pellis, uiſcus, pili, uilli, uenæ, ex quibus iam conſtāt diſsimilaria, ut facies, manus, pes, & alia talia, & in plantis lignum, cortex, folium, radix, & quæcunque talia. *Deinceps ait.* Accipiamus ſimilarium quæ ſunt terræ ſpecies, & quæ aquę, & quæ cōmunes. *Quod cùm perſtrinxiſſet tex. 52. promit ex omni genere ſimilarium, quæ terræ ſunt, quæ aquæ, & quę utriuſque. tandem tex. 54. ait ſe determinaſſe de unoquoque ſimilari, deinceps proponit ſe de ſimilaribus, & diſsimilaribus animalium locuturum. Nihil itaque magis perſpicuum in Ariſtotelis doctrina inueniri poteſt, quàm hìc de ſimilari corpore in communi diſputari. Verùm antequam huic negocio finem imponamus, ſoluendę ſunt nonnullæ difficultates. Oritur prima dubitatio ex ijs, quæ proximè diximus, in fine enim huius operis Ariſto. de forma & fine partium ſimilarium poſterius pollicetur ſe dicturum, hoc igitur libro exactam rerum ſimilarium diſciplinam non comparamus. Secunda dubitatio eſt, Ariſt. in calce tertij meteor. cùm communiter de mineralibus fuiſſet locutus inſtituit de eis ſingulariter ſe tractaturum, quare liber hic particularem ſimilarium, & non omnium tradit diſciplinam, alioquin ordinem*

nem à communi ad ſingulare peruertiſſet, in tertio enim de ſpecie milaris corporis utputa de mineris egiſſet, hic uerò communiter de uniuerſo ſimilari corpore. Ad primam reſpondemus, quòd cùm eiuſ
1.Phy.tex. 22. *dem ſit facultatis de materia & forma agere, ut liquet 2. phyſ. ꝗ ſi mul hic de utraq; fuiſſe diſputatũ dicendũ eſt, tex enim 19. finis cõ coctionis poſitus ē, tex. etiã ultimo Ariſ. ait quod finis uniuſcuiuſq; eſt ſuũ opus, nec cognitio formę fuit derelicta, hæc ex ijs, quæ de cõ coctione, concretione. & de reliquis tradita ſunt, cognoſci poteſt, id etiam nec negauit Ariſt. ſolùm autem aſſeruit in doctrina diſsimila rium eas cauſas magis fieri perſpectas. Poſſumus etiam dicere, aliũ finem & aliam formam polliceri ſe traditurum, non quæ communis ſit rebus omnibus ſimilaribus, hæc enim in hoc libro cognita eſt, ſed quæ partium animalium, & plantarum extat, quam magis in diſsi- milaribus perſpici teſtatur. Secũdam ſoluimus dubitationem, quòd licet hic de uniuerſo ſimilari corpore diſputari dixerimus, illudq́; primariam eſſe intentionem, de mineris eſſe hanc tractationem fate ri, poſſumus, de eiſque ſingulariter agi, non enim mineralia exactio ri diligentioriq́ue egent ſermone, ſolùm enim ſimilares habent par- tes, in aliaſque & diſsimilares non ſcinduntur, ueluti animalia & plantę, & iccirco Ariſt. in fine uoluminis ait circa unumquodque ſi milare ſe locuturum, intelligens partes animalium & plantarum, quas magis dixit in diſsimilaribus innoteſcere, non fuit igitur opus nouam fieri orationem de mineralibus, hancq́ue ſibi ſufficere, quæ pro ſingulari habenda eſt, & proinde in fine proponens, quæ in po- ſterum eſt dicturus, ſolùm de animalibus & plantis inſtituit ſermo nem, aliam de mineris tractationem omittens. & in hac re maximè*
1. Phy.cõ. 57. *interpretes decepti ſunt, & Auerroes primo phyſ. qui opinati ſunt de mineris librum non haberi, deperditumq́ue eſſe, quod à mente Ariſt. magnopere abhorret, in fine tertij dixit de illis uelle loqui, & in calce quarti de animalibus & plantis, ergo in quarto de eis fuit tractatum. Remanet itaque, ut corpus ſimilare ſit ſubiectum, quod pro re conſiderata intelligi uolumus, eſt autem modus conſideran- di, quem in uniuerſa ſcientia naturali inſtituimus, ut habet in ſeip- ſo principium motus & quietis, quandoquidem unus eſt tractandi modus omnibus partibus conueniens. Hactenus de noſtra opinione modò aliarum ſoluendæ ſunt rationes.*

Rationes ſecundæ, & tertiæ opinionis diluuntur. Cap. 8.

IN præſentia aliorum ſoluamus rationes, & prius opinionis latinorum aſſerentium ſubiectum eſſe mixtum perfectum. Prima reijcitur, de mixtoque perfecto hìc agi fatemur, eſt enim corpus ſimilare perfectum mixtum & natura prius diſsimilari. Soluitur ſecunda, uerum eſt mixti perfecti affectiones conſiderari, eius tamen quod ſimilare uocatur, quare non mixtum perfectum in communi hìc tractatur, nec huius primò inquiruntur paſsiones. Nec eſt uerum ut ſemper de genere prius fiat oratio, non enim de uniuerſo mixto imperfecto prius diſputatum eſt, licet enim id ſeruetur in uniuerſo ſubiecto, in alijs uerò non eſt neceſſarium. Talis eſt etiam hæc tractatio, ut pro uniuerſa & ſingulari accipi queat & ſatis erat pro uniuerſo mixto perfecto uniuersè de ſimilaribus diſputari, nec præter hunc librum alius de mineralibus habetur, ut paulo ante conſtitit. Nec rationes Ioa. gram. aliquod habent momentum, prima ſoluta eſt, quodammodo affirmare poſſumus ſingulariter tractari de metallis, pro horum enim doctrina nihil deſideratur, cùm in eorum partibus non tanta ſit diuerſitas, quãtam in animalibus & plantis conſpicimus, nec per ſimilaria metalla duntaxat intelligenda ſunt, ſed etiam animalium & plantarum partes, ut antea diximus. conſimili ratione ſoluitur altera, affectiones traditæ non ſolum mineralibus inſunt, ſed etiam ſimilaribus animalium & plantarum, quarum gratia etiam dictum eſt de generatione, concoctione, & de alijs. nec textus poſtremus huius operis nobis obſtat, uolumus enim alium non haberi librum præter hunc de mineris, de mineralibusque dici poſſe affirmamus, eo tamen pacto, quo docuimus. Et hæc hactenus de huius operis materia.

De ordine opinio Alex. & Ammonij. Cap. 9.

AD ſecundum modò inſtitutum accedamus, in quo de ordine diſſerere propoſuimus, quamve ſedem liber hic inter philoſophiæ naturalis libros ſibi uendicet, in qua re concordes

cordes non ſunt interpretes, prima opinio eſt Alexandri, quam deinceps Ammonius inſecutus eſt, qui extremam libri tertij partem, ubi de mineralibus communiter diſſeritur, & totum quartum accipientes de gen. & cor. uolumini adijciunt, ut tertius numeretur, diſciplinamque meteorologicam anteire opinati ſunt. Nec pro hac tuenda opinione deſunt rationes, quarum prima eſt. Ariſtoteles initio huius quarti breui quodam epilogo repetit, quæ in libro de ortu & interitu de primis qualitatib. dixerit, nempe earum numerum, & duas utputa calidum & frigidum uim agendi habere, duas uerò ſcilicet humidũ & ſiccũ patiendi, actiuarũq; opera & paſsiuarum ſpecies, quod aliam ob cauſam factum eſſe non eſt ſuſpicandum, quàm ut opus hoc libro de generatione & corruptione necteret. Additur rationi robur, quia iſtorum tractatio magnopere ad rerum ſublimium generationem, & libros meteorologicos conferebat, quandoquidem ſine actione & paſsione primarum qualitatum nec quæ in ſublimi fiunt, nec quæ in terræ uiſceribus producuntur, oriri poſſunt, quare doctrinæ meteorologicæ facultatum diſciplinam primarum qualitatum, earumque actionis & paſsionis præferri oportebat. Eſt ſecunda ratio, quam Olympiodorus initio libri meteor. recenſet, quod de principijs & de compoſitis, quæ ex illis procreantur, unius intereſt facultatis agere, ſimul etiam oportet poſt cauſarum ſermonem de compoſitis proximè diſſerere, in duobus uerò libris de ortu & interitu de elementis diſputatur, reliquum igitur erat, ut de ijs, quæ ex elementis conſtant, & de compoſitis tractaretur, in uno igitur loco hos duos tractatus contineri eſt neceſſe, de cõpoſitis uerò & quę ex elementis fluunt, in lib. hoc agitur, quare eum in libris de gen. & cor. numerari fateri cogimur. Alijs moliri poſſumus eandem opinionem, nulla eſt ratio, qua poſt libros meteorologicos opus hoc conſtituere impellamur, & primùm id cognoſci poteſt ex libri inſcriptione, qui meteororum nuncupatur, hoc eſt rerum ſublimium facultas, hoc quarto doctrina non habetur de rebus in ſublimi ortis, ut paulo ſupra oſtenſum eſt, quinimo nihil commune eſt huic libro cum tribus meteorologicis, ab hac igitur ſede eum ſeiungi probè diximus. Præterea. Ariſto. initio libri meteor. cùm iam epilogo collegiſſet, de quibus illucuſque diſputauerat, inſtituens ſermonẽ de quibus eſt tractaturus, nequaquam de ijs meminit, quę

in

in quarto diſſeruntur. Opus igitur hoc inſequi libros meteorologicos minime exiſtimauit, cùm cætera omnia, de quibus erat locuturus poſt meteorologicam recenſuerit, tacuerit uerò quæ hìc tractãtur.

Opinio improbatur. Cap. 10.

VERVM Alexãdrum, & Ammonium, quos magnos peripateticos, ſummiſque Ariſtotelis expoſitoribus pares ſemper iudicauerim, in hac re riſum de ſe poſteris tradidiſſe cognoui, quandoquidem uerum non eſt opus hoc aliò trãſferri, librisque de gen. & corr. coniungendum. quod ſic in primis oſtenditur Ariſto. teſte Auer. initio libri meteo. ad libros uſque de animalibus eo ordine, qui eſt ſecundum naturam, uſus eſt, ut à communi ad minus communiora procedat, ab imperfectoque ad perfectius, poſt autem de uniuerſo mixto, de quo diximus agi in libro de ortu & interitu, de mixti, cuius duæ ſunt ſpecies perfectum & imperfectum, ſpeciebus erat tractandum, priora autem ſunt mixta imperfecta, quare in priori loco de eis erat diſſerendum, in poſteriori uerò quę perfectiora ſunt, de imperfectis tribus prioribus meteorologicis diſputatur, de perfectis autem in quarto. Diſciplina igitur quarti conſequitur trium priorum, aliter eum ordinem non ſeruaſſet Ariſto. Pręterea in fine huius de animalibus & plantis inſtituit ſe locuturum, quare quę hìc tractantur, ſermoni de animalibus & plantis cohærere oportet. libris igitur de ortu & interitu falsò nectitur. Non tamen inter recentiores defuerunt, qui Alexandri partes tueri conati ſunt aſſerentes rationes quas ipſi retulimus, ſolui poſſe, quòd in hoc opere licet de primis qualitatibus, de earumq; actione & paſſione dictum ſit, id tamen non ſolum perfectam, uerum etiam imperfectam reſpicit mixtionem, quare utriusque mixtionis traditur ratio. diluitur etiã ſecũda, quòd ex uerbis in fine quarti ſolùm habetur doctrinæ ordo rerum pertractan arum, ut cùm de ſimilaribus communiter dictum eſſet, conſequens erat, ut ſeparatim de ijs, quæ ſunt animalium & plantarum, ageretur, ac de diſsimilaribus, non ſequitur tamen, ut animalium libri cum opere hoc ſint cõiungendi, imo ſi hunc ſtatim ſequerentur, hoc accidet abſurdum, ut metallorum tractatio pręcederet, cùm in calce huius Ariſtot. de

animalibus & plantis in poſterum ſe tractaturum promiſerit. Verùm huius opinionis fautores, ſi potius ueriores quàm probabiliores inſecuti eſſent ſententias, ſubtiliusque Ariſto. libros fuiſſent interpretati, & ea, quæ maioris ſunt momenti, docuiſſent, admirabilem tradidiſſent doctrinam, ſed cùm grauiora reliquerint, ſæpe in multos labuntur errores, quod ex uno loco conſpici poteſt, quis unquam id audeat dicere, hìc de ijs agi, quę perfectis & imperfectis mixtis communia ſunt? tantum id abeſt à ueritate, ut ei nihil magis poſsit eſſe contrarium. ex ſuperioribus conſtitit, hìc de ſimilaribus tractari partibus, & de ijs, quibus earum natura perficitur, ut de concoctione nemini ſit ambiguum, mixta imperfecta concoctione non gigni. Præterea eodem loco duplex generationis definitio fuiſſet tradita, in primo enim de ortu & interitu una data eſt definitio altera uerò hic, quare dicendum eſt ibi communiter fuiſſe definitam hìc uerò ut perfectis accommodatur mixtis. Deinde putrefactio, de qua hìc fit ſermo, in rebus meteorologicis non inuenitur, nec refert ſi multa de primis qualitatibus repetantur, quatenus ſine illis perfecta mixta fieri non poſſunt, imò ſi liber hìc pars eſſet ſcientiæ de gener. & corr. fruſtra ea repeterentur, cùm idem eſſet locus, & repetitio non expoſceretur, iam paulo ſupra oſtendimus de corpore ſimilari communiter hìc fieri ſermonem, eiusque gratia omnia conſiderari. Nec ſolutio alterius dubitationis uera eſt, quia uſque ad libros de animalibus idem eſt librorum ordo, & rerum cognoſcendarum, ut res eo tractentur ordine, quo conſtitutæ ſunt. Si igitur res ſingulæ uniuerſas conſequuntur, ſic rerum ſingularium tractatio uniuerſam ſequitur. quare ordine doctrinæ poſt communem de ſimilaribus orationem, ea, quæ eſt de ſingulis, locari debet. nec rationi erat conſonum, ut maiori ſocietate libri de animalibus cum libris de gen. & corr. quàm cum poſterioribus, quibus propinquiores ſunt, coniungerentur. Nec illud incommodum, quod ipſi putarunt, accidet, diximus enim paulo ante etiam de mineralibus librum hunc uocari poſſe, nec alius de eis habetur tractatus, in qua re omnes, quos ego perlegerim, expoſitores decepti ſunt. Verùm his eorum omiſſis erroribus, & compluribus alijs, quos commiſerant, cùm imperfecta mixta ex uno conſtare elemento, eiuſque magis affectiones dici affirmauerint, quod maximè à ueritate alienum eſt, ut in quarta

monuimus

*monuimus præfatione,me,unde diſceßi,reuocabo, alijſque Alexã
dri opioionem falſam eſſe oſtendam. Ariſtot. in fine tertij meteor.
cùm de mineralibus uniuerſè diſſeruiſſet,ſingulariter de eis ſe uer-
ba facturum proponit,quod in hoc quarto factum eſt; quare liber
hic proximè tres priores conſequitur,nec in eorum eundum eſt ſen-
tentiam,qui extremam tertij partem à libris meteorologicis abſcin
di putarunt. Ariſtoteles enim caput,in quo de mineralibus uniuer-
ſaliter agit, connectit facultati meteorologicæ,ſiquidem cùm epilo-
gum eorum,quæ dixerat,feciſſet,de quibus ſit locuturus, deinceps
proponit,ſic ait.* Quęcunque igitur opera accidit exhibere ſe-
gregationem in locis iis,quæ ſuper terram, tanta ferè ſunt, &
talia,quęcunque autem in ipſa terra incluſa terrę partibus ope-
ratur,dicendum. *Quare tractatio de uniuerſis metallis minimè
ab ea,quæ eſt rerum meteorologicarum,ſeiungenda eſt. Præterea
neceſſariò pars de mineris proximè conſequi debet,quia declaratur
eas ex duplici oriri halitu, de quo dictum eſt in libris prioribus.
Præter etiam rationem eſt,tractationem de metallis,quæ mixta per
fecta ſunt,imperfectorum ſermoni præferri. Deinde Ariſt.in hoc* 4. Meteor.
quarto cùm de metallorum loquitur ortu,eaque ex duplici exhala- tex.42.
*tione fieri aſſerens ait ſe de re hac dixiſſe in alijs, & librum ter-
tium intelligit, in quo communiter de mineralibus diſſeruerat, &
cum dicat in alijs,diuerſum innuit opus. Olympiodorus quoq; uni
ca ratione idem nititur deſtruere,licet multi non ſit momenti, quòd
ſi liber hic tribus prioribus eſſet præponendus,ſimiliter eum,qui de
ortu & interitu eſt, pręcederet, aliter interrupta atque interciſſa
de elementis foret oratio,tribus enim locis de elementis dictum eſt,
in libro de cælo,ut ſunt ęterna,in libro de gen.& corr. ut qualita-
tibus formantur, ortuique & interitui obnoxia ſunt, hìc uerò, ut
paßionibus afficiuntur,uerùm hæc poſtrema conſideratio eam, quæ
eſt de eorum generatione,præcedit,nam prius elementa patiuntur,
uarioque modo afficiuntur,deinde formis & qualitatibus forman-
tur,quare librum hũc ei, qui eſt de generatione & corruptione,prę
ferri oporteret.*

Opinionis rationes diluuntur. Cap. 11.

CUM à ueritate abhorrere iſtorum ſententiam perſpexerimus, nunc rationes, quas attulimus, eijciendæ ſunt. Ad primam reſpondetur, quòd alia ratione, quàm ipſi putauerint, complura de primis qualitatibus in libro de ortu & interitu explicata hìc repetuntur, quatenus ſcilicet ſimilarium partium ſermoni conducunt. & id paßim apud Ariſto. inueniri poteſt, de prima materia ſatis abundè dictum eſt 1. phyſ. libro tamen de ortu & interitu repetitur, ibi autem communiter, hic uerò ſingulariter conſimili ratione in ſecundo phyſ. unumquodque genus cauſæ explicatur, quod idem repetitur 1. metaph. Præterea quæ hìc de concretione, liquefactione, & exiccatione dicta ſunt, in ſecundo de animal. partibus rurſus traduntur. nullum igitur eſt abſurdum, ſi eadem res ut diuerſam reſpicit conſiderationem pluribus tractetur locis, in libro enim de gen. & corr. de primis qualitatibus fuit diſputatum uniuerſi mixti gratia, quod ibi eſt ſubiectum, hìc uerò, ut ad ſimilares partes referuntur, ut uerò ad rerum meteorologicarum doctrinam conferunt, tractatum eſt de eis in libro de ortu & interitu, pro earum enim ſcientia cognitio illa ſufficiebat, nec fuit neceſſarium multa de eis repeti in libro meteor. Soluitur ſecunda ratio, & aſſentimur eis, eodem loco de principijs, & de ijs, quæ ex illis efficiuntur, agi. uerùm dicimus quòd dum de principijs in duobus libris de ortu & interitu tractatum eſt, ſimul & de compoſitis fuit dictum, principia enim compoſiti gratia tractantur, ſecundo de gen. & cor. ſufficienter dictum eſt de mixto, & de eius generatione, ut nos in tertia Præfatione monſtrauimus. Altera euertitur ratio ex inſcriptione ſumpta, fatemurq; nihil cõmune huic libro eſſe cum tribus meteorologicis, & hac rõne malè meteorologicũ fuiſſe inſcriptum opinamur, ut paulo infra magis conſtabit. Poſtrema reijcitur, & iccirco Ariſt. in exordio primi meteor. non meminiſſe de hoc libro arbitramur, ut indicaret eũ neceſſariò conſequi facultatẽ meteorologicam: ſatis igitur fuit de extremis ſcientiæ partibus dixiſſe, ſtatim enim mediæ cõplectuntur, præſertim cùm in calce tertij eum eſſet propoſiturus, & hac rõne adiecit particulã illam ferè, quia ſine hac facultate, & rerum metallicarum diſciplina finis ſcientiæ naturalis non habetur.

Ioā gram. & Olympiodori opinio Cap. 12.

IOAN. gram. & Olymp. priori opinioni non adhærentes in aliam iuerunt ſententiam, opinatique ſunt librum hūc partem eſſe facultatis meteorologicæ, ex omnibusque unum fieri opus. Quorum opinionem latini ſecuti ſunt, id autem rationibus & auctoritatibus nituntur oſtendere. Prima ratio ex inſcriptione ſumitur, quæ una & communis omnibus eſt, meteorologicique nuncupantur, quare liber hic cùm eandem cum prioribus habeat inſcriptionem, in eodem diſciplinæ genere cum illis continebitur. Dicunt aūt Olymp. & Ioa. gram. meteorologicos inſcribi oēs, quia omnium rerum, quę in hac uniuerſa facultate tractātur, una eſt materia ꝓxima, quæ exhalatio ē, quæ ſuapte natura in ſublimem locū fertur, & ideo rerū ſublimiū ſciētia nuncupatur. Ex tali autem materia non ſolùm quæ in ſuperiori plaga fiunt, ſed quę intra terram ut mineralia, procreantur. iure tota hæc ſcientia meteorologica dici poteſt. Eſt ſecunda ratio, ad unam ſpectat facultatem de genere & generis ſpeciebus agere, ut liquet 4. meta. mixtū perfectum & imperfectum unius generis ſunt ſpecies, quare eorum tractatio ad unā attinebit diſciplinam, uerū n cùm in tribus prioribus de mixtis diſſeratur imperfectis, in quarto uerò de perfectis, ſub una complectentur facultate, nec de his ſermones ſeiungendi ſunt. Præterea hoc idem ex Ariſto. confirmari poteſt, qui in fine tertij cùm de mineralibus communiter egiſſet, ſeparatim de eis ſe tractaturum pollicetur, ueluti igitur pars illa tertij à facultate meteorologica non abſcinditur, ſic nec quarti diſciplina, par enim ratio eſt de utraq;. quare doctrina hæc à prioribus non eſt diuidenda, ſed magis in una ſede ambæ ſunt collocandę.

Opinio improbatur, rationesq; diluuntur. Cap. 13.

NEC hæc opinio Ariſtotelis mentē attingit, falſumque eſſe dicimus horum omnium librorum unam eſſe faculatem, quod ſic primum oſtendimus, quæ diuerſas ſatis habent natu-

naturas, & nulla propemodum cõiunctione continentur, uno loco, ab unaque facultate tractari non debent, at mixta perfecta & imperfecta ſic ſe habent, ut eorum diuerſa ſit ſubſtantia. de eis igitur uno diſſeri loco non licet. Præterea quorum diuerſæ ſunt affectiones, aliusque productionis modus, in una complecti facultate non decet, alię autem ſunt mixti perfecti & imperfecti paſſiones, uarioque modo producuntur, ab una igitur facultate conſiderari nequeunt. in una enim diſciplina ea duntaxat tractantur, quæ ſibi conueniunt in affectionibus, principijs, & modo generationis, quod in his minimè inueniri licet, alia enim pro perfecti mixti ortu requiruntur, & alia pro eius, quod eſt imperfectum. Deinde Ariſto. in exordio libri meteor. proponens de quibus facultas meteorologica diſſerit, de eis, quæ in quarto diſputantur, non meminit. non putauit igitur, quæ in eo traduntur, ſub diſciplina meteorologica complecti. Præterea non eſt una facultas, quæ de rebus meteorologicis, & quę de partibus ſimilaribus agit, tres priores libri de rebus meteorologicis diſſerunt, hìc uerò de ſimilaribus, una igitur non eſt ſcientia, præſertim cùm liber hic etiam de mineralibus dicatur, qui ab illis prorſus ſeiungendus eſt. Rationes uerò facilè ſolui poſſunt. ad primam reſpondemus, & malè meteorologicum fuiſſe inſcriptum aſſerimus, ſicque fuiſſe nuncupatum exiſtimamus aut impreſſoris incuria, qui ob operis exiguitatem ſuperiorum librorum particulam eſſe duxerit, aut eorum inſcitia, qui caſtigandos ſuſceperint Ariſtotelis libros. Erraſſe quoque eos arbitramur, qui ex materia, quæ ſua natura in ſublimem regionem fertur, fuiſſe inſcriptum opinati ſunt, nomenclationis ratio admodum extranea foret ut rerum ſublimium dicatur facultas, quia eorum materia in ſublimem locum feratur. Præterea nec ob hanc rationem hic quartus dici poteſt meteorologicus, non enim ſolùm de metallis ſit ſermo, quæ ex huiuſmodi oriuntur materia, ſed de compluribus alijs ut de animalium & plantarum partibus, quæ ſupra terram procreantur, & non quidem ex ea materia, ex qua mineralia. Secunda ſoluitur ratio, uerum eſt ad uniuerſam facultatem ſpectare genus & ſpecies contemplari, illud tamen non eſt neceſſarium in parte facultatis, Ariſtoteles enim quarto met. in uniuerſa loquitur ſcientia, ueluti etiam primo poſte. & nos fatemur ad ſcien-

tiam

tiam naturalem attinere de corpore naturali agere, & de eius ſpeciebus, non eſt tamen neceſſarium ut uno loco omnes tractentur, aliter omnium ſpecierum tractatio facienda foret libro phyſ. ubi de genere agitur, ſimiliter in ſcientia de animalibus de plantis, quæ corporis animati ſunt ſpecies, agendum eſſet. non eſt igitur neceſſarium in unum conferri locum orationes de ſpeciebus. Præterea dicimus quòd partes ſimilares, de quibus diximus hic fieri ſermonem, non ſunt primaria ſpecies corporis mixti, ſed magis eius quod perfectum eſt. ratio igitur multas patitur difficultates. Poſtrema diluitur, & dicimus partem illam tertij, in qua communiter de mineralibus fit diſputatio, non per ſe coniūgi diſciplinæ meteorologicæ, ſed per accidens ſuperiorib. libris adhærere. nā cùm dixiſſet res meteorologicas ex duplici halitu procreari, ex qua ſimiliter mineræ ortum habent, ut omnes halitus operationes doceret, fuit coactus mineralium tradere doctrinam, & eandem ob cauſam pars ſingularis uniuerſæ fuit prępoſita, licet hæc ad mineralia relata pro ſingulari poſita ſit. Falſa eſt itaque iſtorum opinio.

Opinio propria. Cap. 14.

EXPLOSIS aliorum ſententijs noſtra modò eſt afferenda, uerùm cùm ordo prius & poſterius reſpiciat, quem ſequatur, & cui prępōnendus ſit, noſcere oportet. Dicimus proxime ad libros tres meteorologicos poni, ſcientia. n. quando fieri poteſt, à naturę ordine non diſsidet, prędſertim cùm Auerroes uti ordine ſecundum neceſſarium Ariſtotelem ad librum uſque animalium dixerit, mixta imperfecta natura, quæ perfectiora ſunt, antecellunt, prius igitur tractari oportebat, quandoquidem natura ab imperfecto ad perfectius ſemper progreditur. quare libri meteor. in quibus de imperfectis diſſeritur, prędferendi, quos cōſequi neceſſe ē librū de ſimilarib. Prętere a hūc ordinē Ariſ. ī calce tertij cōſtituit, ubi ī poſterū pollicitus ēſe de mineralibus ſingulariter tractaturū, tractatus de ſingulis mineris eſt hic quartus. Deinde Ariſ. tex. 42. loquēs de mineraliū ortu ait ex duplici exhalatione

latione oriri, de qua re in alijs ſe dixiſſe fatetur, & tertium intelligit, quare liber hic tres priores conſequitur. Precedit autem de animalibus libros, & proximè eum, qui de hiſtoria inſcribitur, cõmuniora enim & imperfectiora ſunt præferenda; quæ hìc tractantur, amplioris ſunt ambitus, & minus habent perfectionis, latiusq́; patent, quandoquidem ſi fuerit animatum, eſt neceſſe, perfectum ſit mixtũ, & non e contrario. hæc etiam uita carent, quæ imperfectiora ſunt uitam habentibus. iurè igitur tractatus hic de animalibus ſermoni præponitur. hoc idem ex Ariſt. confirmatur, qui in calce huius cùm de ſimilaribus egiſſe aſſeruerit, de animalibus ſe tractaturum inſtituit Deinde ſecundo de partibus animal. cap. 1. de concretione, & liquefactione loquens ait ſe de his diſſeruiſſe alio loco, & hũc quartum intelligit. Ad hęc partes ſimilares prius in communi cognoſci operæpretium erat, poſtea ſingulariter, communiter hìc de eis tractatur, ſeparatim uerò in libris de animalibus & plantis. Quare eſt perſpicuũ librum hunc ijs, qui ſunt de animalibus, præferri, & ꝓximè ei, qui de hiſtoria nuncupatur, hic enim primus eſt inter libros de animalibus, ut inſequenti dicemus præfatione.

De Diuiſione. Cap. 15.

TEMPVS eſt ut de Diuiſione loquamur, quatuor in partes ſcindi totum hoc opus dicimus. in prima cùm nonnulla de primis accepiſſet qualitatibus Ariſtoteles, quòd duæ ſunt actiuæ, duæ uerò paſſiuæ, duo diſputare inſtituit, nempe quæ actiuarum ſint operationes, & quæ paſſiuarum ſpecies, uſq; ad tex. 28. opera facultatum, quæ actiuę ſunt, explicat, ut quid ſit generatio, concoctio, & quæ his contratria ſunt. in ſecunda parte uſque ad tex. 42. ſpecies paſſiuarum aperiuntur, ut quæ ex humido & ſicco ortum habent, ueluti durum & molle, ſimulq́ue de concretione, liquefactione, exiccatione & humectatione agitur, & quæ ſunt corpora, quę his ſubijciuntur affectionibus. in tertia uerò parte ad tex. uſque 48. de partium ſimilarium conſtitutione diſſeritur, modusq́ue earum productionis traditur. Poſtremùm differentiæ, quibus partes ſimilares dignoſcuntur, ponuntur, ratioq́ue earum cognoſcendarum

darum aßignatur, differunt enim qualitatibus ſenſibilibus, & affe-ctionibus, quę ad agendum & patiendum attinent. & hæc ſint di-cta de re hac.

De Vtilitate. Cap. 16

NOVISSIME *propoſuimus de utilitate diſſerere, de qua in præſentia agere decreuimus, eſt huius operis primaria utilitas, quòd partem felicitatis ſpeculatiuę nobis ſuppeditat. diximus enim in prima præfatione felicitatem contemplatiuam nobis ex artibus ſpeculatiuis comparari, cùm autem facultas hæc pars ſit ſcientiæ ſpeculatiuæ, intellectui pro felicitate acquirenda non paruo emolumento erit, niſi enim intellectus fuerit ſingula factus, ſuam non adipiſcitur perfectionem. Ad multas etiã res perutilis eſt hic liber, primum maximo uſui eſt medico, qui ut craſſos humores noſcat extenuare, & crudos concoquere, rebusq́ue putridis auxiliari, opus eſt, ut concoctionem, cruditatem, & putrefactionem cognoſcat, quarum cognitio probè hìc traditur. Perdiſcet etiam corpus denſius rarefacere, & rarius conſtringere. Fundendi quoque ars, conflandiq́ue metalla maximam ab hac facultate ſumit utilitatem, hìc enim metallorum materia, & eorum modus productionis, quæque ſit illõrum cuiuſque natura, quę arti fuſoriæ pernecceſſaria ſunt, explicatur. Reliquas omitto facultates, quæ nõ parum commodi ab hac diſciplina recipiunt, id tamen unicuique ſit perſpectum, opus hoc ſummo ſtudio, magnaq́ue diligentia eſſe perlegendum. Hæc igitur ſunt ea, quę hoc uolumine declarari operę pretium fuit.* a 3. partib. anima. c. 2.

Præfationis Quintæ finis.

ASCANII COMITII PRAEFATIO SEXTA,

IN LIBRVM DE ANIMA.

Autoris inſtitutum proponitur.

ETSI multas uariasque res nobis natura conciliauit, nulla tamen eſt, quæ nobilior præſtantiorque anima ſit, & quamuis nulla res ſit, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur, anima tamē non modò mirabilis, ſed prodigio ſimilis eſt, ſi eā preſertim ſpectemus, quę hominis propria eſt, qua futura & pręterita dignoſcimus, quid in vnaquaq; re optimum ſit, cernimus, & inter nos naturali quadam ſocietate coniungimur. neque ulla re alia abſumus à ferarum natura, quin etiam ea ſublata nihil intereſt inter hominem & lapidem. Si igitur cæteris omnibus nobilitate & dignitate anima antecellit, quis ambiget eius notitiā præſtare reliquorum contemplationi? Hinc primordia noſtri ortus conſpicimus, ſpectatoresq; ſuperarum rerum atque cæleſtium efficimur, noſtræq; uitæ in alio ſeculo æternitatem inuenimus. In eius diſciplinam meū modò eſt inſtitutum Præfationem præmittere, uelu ti in aliarum rerum præceptionibus fecimus, triaque diſputare more interpretum decreuimus. Primum eſt, an de anima diſſerere ad naturalem ſpectet philoſophum. Secundum, qui locus inter naturalis philoſophiæ libros tribuendus ſit huic de anima hiſtoriæ. Tertium uerò ad materiam operis, & ſcopum attinet. Nec in iſtorum diſceptatione à noſtro diſputandi genere diſcedemus, primùm enim aliorum ſententias recenſebimus, eam deinceps, quam ueram putauerimus, in medium proferemus.

Opinio Ioan gram. Cap. I.

PRIMVM nobis Ioan. gram. opinio occurrit, quam ipſe protulit primo de anima, qui ſcientiam de anima uniuerſam nec naturalem nec diuinam opinatus eſt, ſed magis diſciplinam quandam ex utraque cõflatam, in qua pars ſit diuinæ, & pars naturalis ſcientiæ. Et ut hæc intelligatur opinio, animaduertere oportet, tres eſſe animas, ſiue potius partes aut ſpecies nuncupare uelimus, uegetatiuã, ſenſitiuam, & intellectiuam, quarũ duas priores, quoniam e materiæ gremio eductæ ſunt, materiales materiæque immerſas dicimus, poſtremam verò, eo q; ei nulla eſt cum materia ſocietas, immaterialẽ ab omniq; materiæ coniunctione diſiunctam uocamus. ait igitur opinio eas tractare animas philoſophum naturalem, quæ materiæ adhærent, ab eaq; ſubtractæ non ſunt, de ſeparatis uerò & abiunctis Metaphyſicus diſſerit. Verùm cùm in hac de anima oratione de triplici agatur anima, pars eius, in qua de vegetatiua, & ſenſitiua diſputatur, ad naturalem attinet. altera, in qua de rationali, ad Diuinum. Prorſus igitur uniuerſa hæc facultas nec naturalis nec diuina dici poteſt, ſed potius ex parte utriuſque compoſita. Hæc ſic aſtruitur opinio. Ariſto. primo de anima planè teſtatur non de omni anima loqui philoſophum naturalem, ſed de ea duntaxat, quæ materiæ ineſt, uerba ſic leguntur. naturalis eſt conſiderare de anima, aut omni, aut huiuſmodi. locutus eſt cum dubitatione, ut innueret ſolùm de ea anima agere philoſophũ naturalem, quæ materiæ coniuncta eſt, & in qua habet paſſiones, ut ſignificat, quando adiecit, aut huiuſmodi, ſic autem tantum uegetatiua, & ſenſitiua ſe habent, nam intellectui nihil cõmune eſt cum materia. Scientia igitur hæc erit naturalis, ſi ad illas duas animas referatur, ſi uerò ad alteram, dicetur diuina. Ariſtoteles uerò hos duos ſermones ſimul coniunxit, inquit Ioa. gram. quia hic eſt eius mos, ut cauſas materiales ad abſtractas & ſeparatas redigat, ſicut in libro phyſ. fecit, ubi poſtquam de cauſis materialibus & de motu egerit, de immobili motore & abiuncto diſſerit. quod idem ſeruauit lib. de gen. & corr. in quo cauſas materiales & infimas ad ſuperiores reduxit. à quo procedendi modo non uiſus eſt hìc recedere, nã ubi primùm de vegetatiua & ſenſitiua formis materiæ coniunctis diſſeruit,

i. de anima tex. 15.

i. de anima tex. 15.

uit, ad intellectum formam ſeparatam ſe contulit. Præterea hæc opi
6.Met. tex. 2. nio ex Ariſt. 6. met. confirmatur, ubi naturalem non de omni anima contemplari aſſeruit, ſed ſolùm de ea, quæ non eſt ſine materia. & 1.Met. tex. 16. 1. metaph. quæ à philoſopho naturali tractantur referens ait ꝙ tota natura habet materiam, hoc eſt, omne quod à Naturali conſideratur, habet materiam, intellectus autem eſt uis ſoluta & libera ſegregataque ab omni concretione mortali, ut 3. de anima liquet, de ea itaq; oratio ad Naturalem non ſpectabit.

Opinio improbatur. Cap. 2.

VERUM hęc opinio à ueritate abhorret, & primùm ſic tollitur, ꝙ tunc de anima ſcientia non foret una, connexeq; inter ſe eſſent facultates, quę mutuo rerum pertractandarum natura ſecernuntur, cõfuſa igitur & perturbata maneret hęc doctrina. Præterea ex uno genere in alterum fieret tranſitus, quod que proprium eſſet unius facultatis in altera pertractaretur, quod
1.poſt.tex. 71. non licere in omnibus Ariſto. 1. poſt. præcepit. Deinde ad eandem attinet diſciplinam de genere & ſpeciebus diſſerere teſte Ariſto-
4.Met.tex. 2. tele 4. meta. naturalis eſt de anima loqui, eiuſdem erit de omni anima diſputare. Ad hęc eiuſdem eſt facultatis principia, & quæ ex eis efficiuntur, contemplari, homo uerò ad naturalem attinet, quare & intellectus, qui eius eſt principium. alioquin de homine doctrina certa & perſpecta non eſſet in hac ſcientia naturali, tunc enim quodque ſcire nos putamus, cùm cauſas cognouerimus. Deinde ſi ad primum philoſophum de intellectu loqui attinebit, eiuſdem erit & de homine diſſerere, cùm vt diximus, vnius ſit facultatis, quæ de utroque agit, id autem à veritate eſt alienum, quandoquidem Metaphyſicus ſolum res ut entia conſiderat & naturas ſingulas non perſcrutatur, intellectus uerò principium eſt rei, quæ ſingularis eſt, & hominis, quatenus homo. quare Metaphyſici munus non erit de intellectu agere. Additur etiam ꝙ certior & amplior hominis cognitio in prima haberetur philoſophia, quàm in hac ſcientia, ſiquidem eius principium ibi eſſet perſpectum ac exploratum. Præterea Ari-
7.Met. tex. 39. ſto. 7. meta. ait naturalem non materiam duntaxat, ſed & formam, & magis hanc, quia nobilior eſt, conſiderare, intellectus uerò forma

ma eſt hominis, principiumq; in eo operationis, quare eius tractatio maximè ad philoſophũ naturalem attinet. Adijcitur quia Ariſto. 1. de anima eos reprehendit, qui de omni anima non ſunt locuti ſimul & de intellectu, mens igitur Ariſto. eſt, ad Naturalem ſpectare de omni anima diſſerere, & Auer. ait in com. ꝙ qui naturaliter vult loqui, debet agere de omni anima. Deinde eſt opinio Io. gram. ꝙ ſubiectũ hoc in libro ſit anima, una autem eſt facultas, quæ de ſubiecto & de eius ſpeciebus agit, ut patet 1. poſt. quare unius erit de omni anima loqui. Deinceps quæque anima in eius definitione poſita eſt naturalis contemplationis, quandoquidem definitio de ea tradita eſt naturalis, ſed uniuerſa anima in ea definitione, quæ ſecundo de anima habetur, complexa eſt, quoniam Ariſtotel. in exordio ſecundi libri ſe communiſſimam definitionem allaturum promiſerat, & tex. 8. dixit ſe definiuiſſe communiter quamlibet animam, quare ſimul in ea definitione intellectus fuit comprehenſus, uerum cùm ad unam ſpectet facultatem definitum & definitio, ſimiliter intellectus à Naturali conſiderabitur, ſi uerum eſt definitionem de eo traditam eſſe naturalem.

1. de anima tex. 83.

Rationes ſoluuntur. Cap. 3.

CVM falſam, à ueritateq; recedere hanc opinionem oſtenderimus, paucis diluendę ſunt rationes quas pro ea attulimus, uerùm prius noſcere oportet, nullum eſſe abſurdum uarias facultates in eiſdem uerſari, ratione uerò tractandi differentes, quod perſpicuò duobus exemplis patefaciam. primo enim ethic. ait Ariſto. de recto fabrum & geometram diſſerere diuerſo dicendi genere, & 2. phy. dixit lineã à geometra & philoſopho naturali cõſiderari. Quare rẽ unã à pluribus tractari facultatib. nec abſonum nec abſurdum eſt. Conſimili ratione fateri poſſumus nonnulla reperiri, quę diuino & naturali philoſopho cõueniant, ſi diuerſa ratione fuerint excogitata, illisque modis, qui eorum proprij ſint. ſiquidem Diuinus omnia contemplatur, ut entia ſunt, Naturalis uerò ut in ſeipſis habent principium motus, & quietis. Quare etſi concedimus intellectum ab utroque conſiderari, id nõ una accidet ratione, ſed à primo philoſopho ut eſt principium hominis quatenus ens eſt, à natura-

1. ethic. ca. 7.

2. Phy. tex. 18.

à naturali ut eſt cauſa corporis naturalis. Par aũt eſt ratio de recto, & de intellectu, ueluti n. illud à pluribus tractatur artibus, ita hic, nullaque ratio diuerſitatis aſsignari poteſt. Eſt præterea alterum animaduertendum, quod licet dixerimus ſeparata & materia carentia ab utroque poſſe conſiderari philoſopho, eorum tamen contemplatio primùm pertinet ad Diuinum, priusque ei tribuitur, quandoquidem prius ſunt principia entis, quod in Metaphyſica eſt materia, deinde corporis naturalis, quare eorum tractatio primùm aſcribetur Metaphyſico, cùm prius ſint eius principia, poſtea Naturali, cuius poſterius dicuntur. Verùm cum tota nobilitas diuinæ ſcientiæ ex rerum abſtractarum ſermone dependeat, meritò Ariſto. ſemper ait abſtracta à primo philoſopho diſputari, & non à naturali, cui eorum tractationem penitus abrogauit, quod non eſt præter eius conſuetudinem, alicui id abrogare, quod primùm ſibi non conuenit, ueluti patet 7. metaph. cùm ſubſtantiarum duntaxat dixerit eſſe definitiones, cùm accidentia quoque definiantur, quorum quia ueræ non ſunt definitiones, nec eis primùm competunt, ſed ſubſtantijs, ab accidentibus prorſus eas abſtulit, tantùmq; ſubſtãtiarum eſſe aſſeuerauit. ita de ſeparatis arbitrari oportet, quæ ſolùm à primo philoſopho tractari aſſeruit, nimirũ ad ipſum attinet primùm eorũ cõtemplatio, licet nihil ſit, quod prohibeat, ea à naturali diſſeri. Ex his facilè reijciuntur rationes primùm Ioan. gram. decipitur, cùm abſtracta à philoſopho naturali conſiderari minime opinatus eſt, id enim tantũ abeſt à ueritate, ut eo nihil abſurdius dici queat, quamuis enim abſtracta materia careant, cum eaque nullam habeant ſocietatem, naturalem tamen non ſubterfugiunt diſciplinam. Nec Ariſto. 1. de anima cum dubitatione locutus eſt, ut ſeparatorum orationem eriperet penitus Naturali, ſed magis, quia putauit ea non primùm à naturali conſiderari, nec libera & ſoluta ratione, ſed ut materiam inſpiciunt ſenſibilem. Nec uerum eſt in naturali ſcientia de eis agi, ut ad ipſa cauſæ naturales redigantur, ſiquidem per ſe id ſpectat ad philoſophum naturalem. ſunt enim rerum naturalium principia, ſine quorum cognitione ſciri non poſſunt. nec unquam principiorum doctrina altior ſublimiorque eſt ijs, quorum ſunt principia, quandoquidẽ eodem continentur ordine, in eademq; facultate tractari oportet. Si igitur Ariſt. 8. phy. de motore immobili diſſeruerit, id ut philoſo

phus

phus naturalis effecit,& neceſſariò cogebatur pro rerum naturaliũ ſcientia, ut latius diximus in prima Præfatione. Conſimili ratione ſoluitur locus ex 6.meta.allatus. Ad id uerò, quod ex ſecundo adducitur, reſpondetur, quòd addidit Ariſt. fortè, & id inquit Auer. propter intellectum, qui licet à naturali conſideretur, materia tamẽ caret. huiuſmodi loquendi modum etiam Ariſtoteles uſurpauit 6.meta. cùm dixit Naturalis ſpeculatiua quędã profecto eſt, ſed ſpeculatiua circa tale ens, quod poſsibile moueri, & circa ſubſtantiam ſecundum rationem ut plurimum inſeparabilem ſolum eſt. *& Auer. ait in com. Ariſtotelem dixiſſe in maiori parte propter intellectum, qui non eſt inſeparabilis. Et hæc hactenus de hac opinione.* 6.Met.tex. 1.

Opinio Simplicij. Cap. 4.

SECVNDO loco nobis Simplicij opinio obijcitur, quam magis diuinare eſt neceſſe, quàm perſpicuò ex eius uerbis elicere, cùm in profundo ſcientiam abſtruſerit ſatis recondito dicendi genere utens. opinatur autem ſcientiam de anima mediam conſtitui inter naturalem & diuinam, ut nec naturalis dicenda ſit, nec diuina. Verùm cùm diuerſo modo eius recenſeatur opinio, noſcere oportet, medium dupliciter dici, unum per extremorum negationem, alterum per eorundem communionem, quod adhuc duplex eſt, aut quia uere utriuſque naturæ particeps eſt, veluti tepidum, aut quia amborum quaſdam habet conditiones, ſicuti ſe habere uidentur animalia affixa lapidibus, quibus naturam mediam inter animalia & plantas ineſſe quiſpiam exiſtimabit, ſiquidem cum ambobus conueniũt, ſunt enim animalibus ſimilia, quia ſenſum participant, plantis uerò, quoniam terræ adhęrent, & loco non mouentur. Ait igitur Simplicius ſi quis philoſophias ipſas in extremis ſtatueret, ita ut ex una parte ſit naturalis, ex altera autem ſupernaturalis, media inter utranque ſcientia de anima ponenda eſt, animæ enim ſubſtantia media inter naturalia & ſupernaturalia dici poteſt, ut quodammodo cum naturalibus conueniat, aliquo uerò modo cum ſupernaturalib. Simpl. ſummopere approbat hanc opinionem, eamque rationibus & autoritatibus nititur moliri. Et primùm ea affert

1.de partib. animal. ca pi. 1. quæ ab Ariſto. dicta ſunt de re hac 1.de partib. animal. in primis oſtendens ſaltem non de omni anima Naturalem differere, deinceps de nulla. Ariſto.loco iam dicto cùm docuiſſet Naturalis munus eſſe de animalium parte materiali, ſicut de ſimilaribus & organicis partibus agere, adijcit, quòd etiam rationi conſonum eſt ſimul de forma loqui, & de hac magis, quoniam animal aut eſt anima, aut non ſine anima, partes enim animalis, ut pes & manus, cùm diſceſſerit anima, non amplius dicuntur tales, niſi æquiuocè. ambigit igitur ꝙ ſi naturalis de anima tractare cogitur, an de omni ſit locuturus, deinde oſtendit non ſpectare ad naturalem de omni anima tradere doctrinam, & ſic argumentatur. ſi naturalis ſcientia de omni anima differit, preter eam alia non erit ſcientia, quod eſt abſurdũ, cùm tres ſint conſtitutæ ſcientię 6.meta. quod ſequitur, ſic probatur, ſi de omni anima ſit ſermo, ergo & de intellectu, quare & de intelligibili, quia relatiuorum & inter ſe ita coniunctorum eadem eſt diſciplina, mutuò enim referuntur intellectus & intelligibile, ſicut ſenſus & ſenſibile, ſi itaque de intellectu diſputare ad naturalem attinet, eiuſdem munus erit de intelligibili loqui, ac de hoc omni, quare omnia intelligibilia, præter quæ nulla alia eſt res, erunt naturalis conſiderationis. nullum igitur aliud intelligibile ſupereſt, quod ab altera facultate poſſit cõſiderari, quare ſola erit ſcientia naturalis. Secũda ratio ex eodem elicitur capite, in ea forma uerſatur philoſophus naturalis, quæ natura eſt, quippe de rebus naturalibus earumque formis, quæ naturæ dicuntur, differit, intellectus uerò non eſt natura, quod ex eius definitione oſtenditur, qua dictum eſt, principium eſſe motus: nullius autem motionis intellectus eſt principium, non uegetandi, quia huiuſmodi motus principium eſt anima uegetatiua in plantis, in quibus non eſt intellectus, nec ſentiendi, quoniam huius principium eſt ſenſitiua in brutis, quæ intellectu carent, nec eius motus, qui localis dicitur, quia hic ineſt brutis ſine intellectu. intellectus igitur nullius motus eſt principium, natura itaque dici nequit. Prætereà natura ſemper facit aliquid propter finẽ, & alicuius gratia operatur, ut liquet 2.phyſ. intellectus uerò dum aliquid efficit nullum inſpicit finem, quandoquidem quæ à materia ſeparata ſunt nihil agunt propter finem, eſt autem intellectus abſtractus, ut 3.de anima patet. Deinde Naturalis formas liberas & ab omni materia

ſolutas

ſolutas non perſcrutatur, intellectus uerò ſubſtantia eſt abſtracta, ab omniq; materiæ ſocietate abiuncta, quare de eo agere non ſpectabit ad Naturalem. Hic eſt primus modus probationis, quem Simplicius arripuit ad oſtendendum ſaltem non de omni anima naturalem loqui. Monſtrat deinceps de nulla anima fieri ſermonem in ſciẽtia naturali, ut ſimul de anima diſciplinam non eſſe naturalem pate faciat. Prima eſt ratio, in ijs uerſatur formis philoſophus naturalis, quæ ſunt naturales, anima uerò non eſt forma naturalis, ſiquidẽ omnis forma naturalis eſt terminus & finis naturalis corporis, ut naturale eſt, anima uerò non eſt finis & terminus corporis naturalis, ſed cum hac adiectione organici, ut cõſtat in animæ definitione, ubi dicitur, ꝙ eſt actus corporis phyſici organici. Secundò monſtrat animam non dici formam naturalem, nec ad ſcientiam de natura ſpectare, quoniam quęque forma naturalis eſt motus localis principiũ paßiuum, ueluti ipſe protulit 2. phyſ. ubi aſſeruit naturam eſſe quãdam aptitudinem, qua res ſuapte natura mouetur, quare ſi forma naturalis dici debet natura, erit quoque paßiuum motus principiũ, anima licet localis motionis ſit principium, non tamen paßiuum, qui nimo actiuum, ut liquet 8. phyſ. ubi dictum eſt animalia moueri à ſeipſis, idq; proprium eſſe animatorum, & in hoc animata ab inanimis ſeiungi, quippe illa habent motus principium actiuum, hæc uerò paßiuum, ut eodem libro patet. Quare conſtat animam non eſſe formam naturalem, nec ea à philoſopho naturali cõſiderari potuit. Similiter nec de ea diſſerere ſpectabit ad diuinũ, anima. n. uegetatiua & ſenſitiua ſunt formæ materiæ coniunctæ, de eiusq; potẽtia procreatæ, formæ autem id genus à primo philoſopho non tractantur, qui ſemper abſtracta & à materia abiuncta contemplatur. Nec intellectus illius ſpectat orationem, licet eius ſubſtantia ſubtracta ſit ab omni mortali coniunctione, quandoquidem ipſius operatio, ſi ut Progreſſus, & non ut in ſe manet, ſpectetur, ſine materia & corporis uirtutibus fieri non poteſt, quæ uerò à primo tractantur philoſopho, purè impartibilia & ſtabilia omnino ſunt, quę nec pro operatione nec pro exiſtentia corporis miniſterio indigent. Patet igitur de anima ſcientiam negatione dici mediam, ſiquidem nec naturalis, nec diuina eſt, & ab utraque diſtat conſideratione. media quoque dici poteſt, ut utriuſque participat conditiones, complecti-

8.Phy.tex. 27.

Ibidẽ tex. 32.

tur quidem naturalis ſcientię conditiones, ut de ijs differit formis, quę corpori adhęrent, & ſine materia non poſſunt operari, quales ſunt uegetatiua & ſenſitiua, intellectus etiam, ut à ſumma ſua egreditur perfectione, cum naturalibus conuenit formis, quippe ſine corporis uirtutibus nõ operatur, ut uerò ex materiæ ſinu natus non eſt, nec cum corpore communes obtinet actiones cùm ad ſeipſum redierit, maximam cum diuinis formis habet ſocietatem, cumque ijs conuenit, quæ ad Metaphyſicum pertinent. Vtriuſque igitur ſcientiæ particeps eſt hæc de anima facultas, mediaque duplici ratione dicenda eſt. quod idem aſſeruit Simplicius proęmio 1. phyſ. hinc eorũ patet error, qui Simplicium parum ſibi conſtare putarunt, ut aliter hìc, q̃ in phyſicis ſenſerit, quod uerũ non eſt, idẽ ſemper cõfeſſus eſt, ibi. n. cũ Naturalẽ & Diuinã enumerauerit ſciẽtiã, inter has medias ſcientias Mathematicam & de Animadoctrinam collocat, nec opinatus eſt diſciplinã de aïa eſſe ſtatuendam inter Mathematicas.

Opinio improbatur. Cap. 5.

SIMPLICIVS magnus peripateticus eximio præclaroque ingenio præditus, in hac uerò re contentionis cupidior quàm ueritatis, Ariſtotelis mentem non attigit, plurimùmq; abſuit ab eius ſentẽtia. Primùm arguitur, quippe illud ſenſiſſe Ariſt. arbitratus eſt, ꝙ de nulla anima naturalis differat, cùm tamen aliud præceperit 1. de partib. animal. ibi enim dubitans an de omni anima naturalis loquatur, oſtendit eam duntaxat animam à naturali non conſiderari, quæ non eſt natura, ſicuti intellectus ſe habet, quem ratione probabili, ut paulo infra dicemus, oſtendit non eſſe naturam, eo ꝙ principium non eſt motus. Concedit igitur uegetatiuam & ſenſitiuam ſpectare ad Naturalem, cùm tamẽ Simplicius uniuerſæ animæ tractationem Naturali abroget. Præterea de ma-
2. Phy. tex. 22. *teria & forma differere unius eſt facultatis, ut ſecundo phyſ. patet; animalis materiam à naturali tractari monet Ariſto. primo de partib. animal. quare ſimul & formã, & magis hanc, ut ibi teſtatur*
7. Metaph. tex. 39. *Ariſt. & 7. meta. anima uerò eſt animalis forma, ut liquet 2. de anima tex. 37. quare de anima naturalis uerba faciet, & id non ſolùm de illis formis, quas diximus materiæ inhærere, intelligendum ſit,*

uerum-

uerumetiã de intellectu,qui ſimiliter actus & forma eſt rei naturalis ut puta hominis,pro cuius ſciētia oĩa principia ſunt cognoſcēda, ut etiam contra priorem opinionem oſtendimus. Deinde cuius ſunt partes de aliqua re compoſita diſputare,ad eundem attinet cauſas, ex quibus res illa efficitur,contemplari,uerùm naturalis eſt de homine loqui,is ipſe ſimul de intellectu,qui eius principium eſt,diſſeret. Ad hæc quarta eſſet danda ſcientia,quippe Simplicius hanc de anima ſcientiam à cæteris omnibus diſiungi arbitratus eſt,id autem ualde eſt abſurdum,ſiquidem Ariſt.6.meta.ex rerum ſectione tres ſtatuit ſcientias,Naturalem,Diuinam,& Mathematicam. Præterea perfecta non eſſet rerum naturalium ſcientia, quoniam de animalibus doctrina abſoluta non haberetur,anima enim ignoraretur, quæ eorum in triplici genere eſt cauſa,finis,forma,& efficiens,teſte Ariſto.2.de anima,ea igitur non ſcita tria cauſarum genera pro animalium diſciplina eſſent ignorata. Deinceps de anima liber ijs adnumeratur,qui de rebus naturalibus tractant,ergo eſt naturalis alioqui confunderentur libri,qui ad diuerſas ſpectarent facultates, in fine autem de animalium inceſſu Ariſt. ſe de anima tractaturum pollicetur,& initio libri de ſenſilibus, qui librum de anima proximè conſequitur,fatetur ſe de anima egiſſe,cùm autem ambo iſti libri,inter quos qui de anima inſcribitur,collocatur,ſint naturales,ſimiliter & medius erit naturalis.

2. De anima tex.37.

Rationes euertuntur. Cap. 6.

Ut funditus Simplicij opinio intereat, nullaque uis pro ea tuenda ſuperſit,diluendæ ſunt eius rationes. Primùm dicimus rationes omnes,quæ ex primo de partib. animal. depromptæ ſunt,eſſe probabiles & dialecticas,nec eas neceſſarias & demonſtratiuas intelligere oportet,aliter multa in Ariſtotelis doctrina ruerent,ueritasq; multis in locis labefactaretur, & id in primis in priori argumento conſpicere ualemus,quando dicebatur, ꝙ ſi naturalis de omni anima diſſerit, ergo & de intellectu & de omni intelligibili,quare ſuperuacaneæ forent reliquæ ſcientiæ,primũ hæc ratio reſpuitur,ſiquidem naturalem de intellectu & intelligibili loqui aſſentimur,uerùm negamus illud ſequi,cæteras ſcientias fore ſuperfluas

ſluas, nam fieri poteſt philoſophum naturalem res omnes cunctaque intelligibilia perſcrutari, cæteras uerò ſcientias auferri non eſt neceſſe, quandoquidem eędem res alia ratione diuerſoque tractandi genere ab alijs artibus poſſunt tractari, dictum eſt enim ante facultates mutuò ſecerni non ex rebus diſputandis, ſed ex diuerſo diſſerendi modo. Præterea ratio hæc oſtenditur minimi eſſe momenti, nam detur cui tribuenda ſit tractatio de intellectu, eamque primam philoſophiam concedamus, tunc eodem utar argumentandi modo quod alia ſcientia non ſit admittenda præter diuinam, quæ de intellectu & intelligibili diſputat, ſuperfluæ igitur erunt reliquæ diſciplinæ. quare idem conſequitur abſurdum quancunq; poſuerimus facultatem de intellectu diſſerẽtem, ſi ueram rationem illam putauerimus: nec aliquorum reſponſio aliquod habet momentum, quòd par ratio non ſit de ſcientia uniuerſali, qualis eſt Metaphyſica, & de Naturali, quæ partem entis contemplatur, prima enim philoſophia communiter de omnibus diſputat, quare etſi de intellectu & intelligibili doctrinam faciat, reliquæ tamen facultates non erunt ſuperuacaneæ, nam quæ communiter in ea tractantur, ſingulariter deinde in ſcientijs particularibus conſiderari contingit, nam ut liquet 4. meta. prima philoſophia rimatur ens, ut ens eſt, aliæ verò ſcientiæ abſcindũt partem entis. Verùm hi magnopere decipiuntur, quia eadem ſunt, quæ in utraque conſiderãtur facultate diuerſo dicendi genere, quare conſimili ratione dicere poſſumus Naturalem omnia intelligibilia pertractare ratione ſingulari, ſupereſt deinceps ea tractatio, quæ uniuerſa eſt, primoque philoſopho aſcripta. Præterea de intellectu naturalis uerba facit, nec rectè dicunt, qui de intellectu, ut anima eſt, naturalem diſſerere opinati ſunt, Ariſt. uerò in libro de partib. loqui de intellectu, ut intellectus eſt, quo modo etiam à primo philoſopho cõſideratur. id aũt nimis eſt abſurdum, nam 3. de anima de intellectu, quatenus eſt intellectus, ut principiumq; eſt intellectionis, fuit diſputatum, licet ut materiam reſpicit ſenſibilem, & ut cauſa eſt rei naturalis. Secundo uerò libro ut eſt actus & forma corporis, & vt anima. Deinde ſi de intellectu agere ad Metaphyſicũ ſpectat, fuit diminutus Ariſt. in prima philoſophia, cùm ibi aut parum aut nihil de eo dixerit. falſum eſt etiam aſſerere primum philoſophum tractare de intellectu, ut intellectus eſt, quia quæ ab eo conſideran-

4. Met. tex. 1.

ſiderantur,entis ratione complectuntur,quare ut principium entis
tantùm conſiderabitur. illud quoq; à uero abeſt primo de partibus
diſputari de intellectu,ut intellectus, quandoquidem ibi Ariſt. quæ
rit an de omni anima loquatur naturalis, quare nomine animæ com
prehendit intellectum. Deinde quæſtio ibi mota de anima eſt. Re-
ctius igitur erit iudicium,ſi probabilem & non demonſtratiuam pu
tauerimus rationem illam,nec ſi eam demonſtratiuam & neceſſariã
demus,propoſito conducet,nam concedamus eundem eſſe, qui de in
tellectu & de intelligibili uerba facit,& de omnibus rebus, tamen
non alia ratione,niſi quatenus ſunt intelligibiles,id enim duntaxat
probat ratio,ſiquidem ſic mutuò referuntur, ſuperfluæ deinde non
erunt cæteræ ſcientiæ,quæ de eiſdem diſſerunt non cum hac adiectio
ne,ut intelligibiles ſunt,ſed quo ad proprias ipſarum naturas,& ac
cidentia.nulla igitur uia ratio defendi poteſt.ſimiliter ſecundam ra
tionem probabilem eſſe arbitramur,uerè enim intellectus eſt natura
motionisq́ue eſt principium,tertio.n.de anima cùm de intellectu agẽ 3.đ anima.
te Ariſtoteles locuturus eſſet,ſumit intellectũ eſſe naturã aſſerens tex.17.
in omni natura eſſe agens & patiẽs,nec eſt uerũ intellectũ non dici
motus principiũ,eodẽ.n.libro duo fatetur eſſe principia motus ſecũ Eodem lib.
dũ locum in homine,intellectũ,& appetitũ,quod idẽ docuit libro de tex.48.
motu animalium cap.3.erit igitur intellectus natura, & principiũ
motus.nec refert ſi in brutis motum eſſe conſpiciamus ſine intelle-
ctu, ſolùm enim in animali rationali principium motus eum eſſe ſta
tuimus.nec eſt neceſſe idem in omnibus eſſe principium motus loca
lis, alia enim ui & natura mouentur elementa, & alia animalia,
nec in his unnm principium motus putandum eſt. Probabile & ue
riſimile eſt illud etiam nempe abſtracta non propter aliquem finem
operari,Deus enim abiunctus eſt, primaria tamen intentione licet
propter ſeipſum agere dicatur,ueluti & reliquæ cæleſtes intelligen
tiæ, ea tamen, quæ ſecunda & poſterior dicitur, propter hæc infe-
riora operatur. Verùm quis ambigere poſſet,cur huiuſmodi ratio-
nes probabiles & logicas acceperit Ariſtoteles, dum eam agitat
quæſtionem? præſertim cùm ipſe alterius fuerit opinionis, aliudq́;
in re hac ſenſerit. Dicimus id paſſim uſurpari ab Ariſto. eiusq́ue
eſſe conſuetudinem,ut noſtra exerceat ingenia, quæ eſt una utili-
tas,quæ ex Dialectica ſumitur,ut patet 1.Topic. afferre rationes 1.Topic.ca pi.2.
proba-

probabiles,ex utraque enim parte motis difficultatibus, hiſque ua rijs modis diſputatis facilius ueritas conſpicitur, rerumque naturæ cognoſcuntur,ſi ſuus præſertim non ſit locus,in quo potius aliorum ſectatur opiniones,quàm ex animi ſententia loquatur , ueluti conſtat feciſſe 3.meteor.cùm de iride agit , aſſerit enim uiſionem fieri per radiorum ex oculis egreſſum,libro tamen de anima,& de ſenſibilibus,ubi locus erat de re hac tractandi,ait eam fieri per ingreſſum ſpeciei. Conſimili ratione dicimus,idem hìc Ariſtotelem ſeruaſſe,per rationes logicas & probabiles,iuxtaque aliorum opinionem rem hanc diſputaſſe,locus enim differendi de re hac,& huic di
1.de anima tex.15.16. *ſputationi magis congruens eſt in libro de anima, in cuius primo de re hac diſputans ſtatuit Naturalem de omni anima,ut materiæ coniuncta eſt, ſermonem facere. Si etiam intimius uerba libri de partib.animal. perſcrutemur,ſolutam fuiſſe ab Ariſto. hanc quæſtionem ſecundum propriam ſententiam, ibique ueritatem ſtabilitam inueniemus.ſtatim enim in principio illius orationis Naturalem materiam & formam,& magis hanc pertractare aſſeruit adijciens animal aut eſſe animam,aut non ſine anima.protulit igitur prius,quod ſenſerit, deinde ut noſtra exerceret ingenia modumque diſputandi traderet,& ad maiora nos excitaret, dialecticè argumentatus eſt contra ueram opinionem. Et hæc ſint ſatis dicta pro ijs,quæ allata ſunt ex eo libro. Nunc ad alias transeundum eſt rationes, & primùm Simplicio aſſentimur,dum Naturalem formas naturales tractare autumauerit,inficiamur autem animam non dici formam naturalem,ſi enim reduplicatiua illa ſic intelligatur,ut propoſitionem faciat de omni,ſicuti frequenter accidit, eius probatio eſt falſa , quod forma naturalis ſit terminus corporis naturalis, ut naturale eſt, tunc enim cuiuſque corporis naturalis eſſet forma, quod idem de lapidis forma intelligi poteſt,quòd cùm ſit eiuſmodi forma, cuiusque corporis dicetur forma,quo nihil eſt abſurdius. Quare dicimus, quod anima eſt forma naturalis corporis, non cuiusque tamen , ſed eius tantum,quod eſt organicum. Si autem uelit Simplicius animam eſſe formam & terminum corporis naturalis,ut naturale eſt,hoc eſt ut habet in ſeipſo principium motus & quietis,non ſecus atque ipſe,ſentimus. Falſum eſt autem illud,naturalem formam eſſe principium paſſiuum motus,natura enim bifariam dicitur,nempe mate-*

ria & forma, uerùm cùm materia ſit principium paßiuum, remanet ut forma ſit actiuum, mutuò enim diſiunguntur, & aduerſarias obtinent conditiones, nam formæ eſt agere, materiæ uerò pati, ut liquet 2. de gen. & corr. neque locus ex phyſicis adductus nobis obſtat, quippe ſi animata à ſeipſis mouentur, eſt neceſſe habeant in ſeipſis principium actiuum motus, ne actio & paßio ab una fluant natura. Hæc igitur opinio quantum à ueritate & ab Ariſtotelis ſententia remota ſit, ex dictis conſtat. 2. de gen. & corr. tex. 53.

Opinio Aliorum. Cap. 7.

QVIDAM recentiorum cùm multas hac in re perſpexerint difficultates, quas diſſoluere non poterant, in aliam à prioribus iuerunt ſententiam, & in Mathematicarum numero hanc de anima ſcientiam reponendam exiſtimarunt. Quod rationibus & auctoritatibus nituntur mõſtrare, & primum Them. teſtimonio, qui in proœmio primi phyſ. tradens ex rebus, quę tractãtur, ſcientiarum diſtributionem, ait cognitionem eam, cui res partim coniunctæ materiæ, partim abſtractę ſubiectæ ſunt, uocari Mathematicam, & ſcientiam de anima, adijciens ſimul rationem, quæ enim Mathematici ſunt, partim materię adhærent, partim ab ea ſeparata ſunt, cuiuſmodi ſe habent, de quibus in libro de anima diſſeritur, quandoquidem duæ animę partes, nempe uegetatiua & ſenſitiua, cum corpore permixtæ ſunt, altera uerò utputa intellectiua libera & ſoluta eſt à materia: quare hæc diſciplina in Mathematicas reponenda eſt. Prętera multa communia huic facultati ſunt cum illis, certisſimæ nanque ſunt demonſtrationes, quarum uſus hoc in libro habetur, ut teſtatur Ariſt. initio, quales ſe habent quoq; quę in Mathematicis fiunt, quas in primo gradu certitudinis ęxiſtere dixit Auer. 2. meta. Si autem aliquæ facultates uocantur Mathematicæ, quòd certißimis utuntur demonſtrationibus, cur non ſcientia de anima in eodem loco reponatur, cùm ſimiles in ea fiant demonſtrationes? Ad hæc Ariſto. dixit de anima doctrinam ad omnem conferre ueritatem, maximè uerò ad ſcientiam de natura, quæ autem naturali conducit, facultas naturalis dicenda non eſt, alioquin ſibi 2. Meta. cõ. 59.

ſibi ipſi conferret. Deinde in nulla altera ſcientiæ parte Ariſtoteles adeo præclaro & egregio proœmio, in quo commodum dicendi ordinem & rei difficultatem explicet, uſus eſt, niſi hic, non eſt igitur ſuſpicandum hanc de anima facultatem partem eſſe ſcientię naturalis, ſed magis ab hac eripiendam, & aliò trãsferri oportere, illa enim omnia magis explicari erat neceſſariũ initio uniuerſæ ſciẽtiæ. hoc idem ex Ioan.gram. 1. de gen. & corr. confirmatur, qui philoſophiæ partes enumerans de hac ſcientia non meminit, innuẽs librum hunc non eſſe naturalem.

Opinio Reiicitur. Cap. 8.

12. Meta. tex.44. *VERVM hęc opinio recta non eſt, & à ueritate longè diſtat, quod ſic primùm oſtenditur. Ariſto. 12. meta. inter ſcientias Mathematicas ſolùm Aſtrologiam ait de ſubſtãtia contemplari, cæteras uerò aut in numeris aut in magnitudine, quæ accidentia ſunt, uerſari, ſcientia autem hæc de anima, quæ ſubſtantia eſt, differit, in Mathematicis igitur numerari nõ debet. Nec uerum eſt, ꝙ nonnulli dicunt ſolùm ſecundum modum, non autẽ ſecũdum rem hanc ſcientiam dici Mathematicam, nam præter id, ꝙ ſibi non conſtant, modò Mathematicam eam uocantes, modo mediam, & partim naturalem & partim diuinam, etiam uidentur conſtituere quartam ſcientiam à tribus illis diuerſam, quas ex rerum diuiſione 6. meta. Ariſtoteles excogitauit. Præterea arguuntur, cùm potius huic uideãtur adhęrere opinioni, dici Mathematicam. res enim, quę à Mathematico conſiderantur, re iunctæ ſunt materiæ ratione uerò*
6. Met. tex. 2. *ſeparatæ, ut liquet 6. meta. anima uerò non ſic ſe habet, ut una ſit res, quæ cum materia re permiſceatur, ratione uerò ab ea ſit abiuncta, ſed id in pluribus accidit rebus, ut uegetatiua, & ſenſitiua mixtæ ſint in materia, intellectus uerò ſeparatus exiſtit, ut re ſolutus*
2. de anima tex. 21. *ſit ab omni corporis ſocietate, teſte Ariſt. 2. de anima ratione, autẽ materiæ coniungitur, ſiquidem ſine ea definiri nequit. Deinceps id*
6. Met. tex. 2. *Mathematici non eſt, quod neque re neque ratione à materia eſt ſeparabile, ut patet 6. meta. uegetatiua uerò & ſenſitiua penitus cũ corpore cõiunguntur, ut pro exiſtentia, & pro ratione eo indigeãt, ſunt enim formæ cum materia permixtæ, ab eaque inſeparabiles, ne*

que

quæ ſine corpore percipi poſſunt, ſiquidem in earum definitione ipſum complectitur, quãdo dicitur ꝙ ſit actus phyſici corporis, in qua definitione etiam intellectus clauditur. uniuerſæ igitur animæ tractatio omnem Mathematici conſiderationem ſubterfugit. Ariſtoteles enim 2. phyſ. diſcrimen docens inter Mathematicum & naturalẽ, præcipit Mathematicum definire ſine materia, Naturalem uerò cum materia, & 1. de anima explicans modum definiendi, qui animæ congruit, cum materia eam definiri aſſeruit. Præterea unius eſt facultatis conſiderare principia, & quæ ex his efficiuntur, loqui de animalibus, quorum anima in triplici genere eſt cauſa, ſpectat ad naturalem, ergo ſimiliter de anima. quod idem teſtatus eſt Ariſto. primo de partib. animal. aſſerens animal aut eſſe animam, aut non ſine anima, æquiuoceq́; dici ſine ea. Additur etiam ꝙ tractandi modus definitioni ſimilis eſt, ut liquet 6. meta. modus animæ definiendæ naturalis eſt, quandoquidem cum materia definita eſt, quare animæ naturalis erit conſiderationis. 2.Phy.tex. 19. 6.Met.tex. 2.

Rationes eiiciuntur. Cap. 9.

NEC hæc opinio ueris innixa eſt rationibus, falſoq́ue Themiſtio aſcripta, primum quia proœmium illud, ut in prima monuimus Præfatione, adulterinum eſt, nec Themiſtij ſapit paraphraſim, & potius ex Simplicio ſumptum opinor. Præterea etſi illis id damus, Themiſtijq́ue eſſe fatemur, aliud tamen ſenſiſſe, quàm ipſi dixerint, putandum eſt, ſolùm enim ibi aſſerit Mathematicam, & de anima ſcientiam in ijs numerari, quæ mediæ ſunt, & quæ res quodammodo materiæ iunctas, ab eaq́ue quodammodo ſeparatas conſiderat. Nec ratio aliquod habet momentum, par enim ratio non eſt de ijs, quæ ab hac tractantur facultate, & de quibus Mathematicus diſſerit, res enim à Mathematico pertractatæ eædem cum materia ſunt permixtæ, & ratione ab ea ſeparabiles quo modo non ſe habent, quæ in hac conſiderantur facultate, nam licet ratione omnes ſint inſeparabiles, aliquæ tamen re prorſus materiæ adhærent, ut uegetatiua & ſenſitiua, aliæ uerò ſeparatæ, ut intellectus, nec aliquid eſt in hac diſciplina, quod re corpori ſit coniunctum, ratione uerò ſeparabile, nã ne intellectus quidem ſine ma-

teria conſideratur, cùm ita hìc pertractetur, quatenus materiam re
ſpicit ſenſibilem, principiumque eſt rei naturalis. nec eſt uerum de-
monſtrationes huius ſciẽtiæ dici certiſsimas, ut malè putauit Auer.
nam uerbum illud, ſecundum certitudinẽ, non ad demõſtrationes re
ferendum eſt ſed magis ad contẽplationẽ. Adijcitur & *quia Auer.*
7 Metaph. cõ. 10. *7 meta. fatetur animam non habere perfectam definitionem, quan*
doquidem compoſitorum exactæ ſunt definitiones, ut patet 8. meta.
igitur animæ definitio perfecta non eſt, nec in hac ſcientia dabuntur
1. De animæ tex. 11. *perfectæ demõſtrationes, nã ut cõſtat 1. de aĩa quodquid eſt ſubiecti*
mediũ eſt in demõſtratione. Concedimus ẽt ſcientiã de aĩa conferre
1. de anima com. 1. *ad naturalẽ diſciplinã, quia ut ait Auer. aĩa eſt principiũ animaliũ,*
ſcientia de aĩa ei, quæ eſt de aĩalib. conducit, quæ pars eſt ſcientiæ
naturalis, quare confert ut pars uniuerſæ. nec eſt præter Ariſto. cõ
ſuetudinem in parte facultatis efficere proœmium, cùm interdum in
capitum principijs id feciſſe inueniatur, hìc tamen clarius & nobi
lius prępoſuit propter ſcientię pręſtantiam & rei difficultatem, nã
præter id, ꝙ eas obtinet difficultates, quæ uniuerſæ ſcientiæ conue-
niunt, alias tamen continet, quas ex ſeipſa habet. nec locus Ioan.
gram. eorum confirmat opinionem, ſatis ei fuit, ſi libros de Animali
bus recenſuerit, in quibus qui de anima eſt numeratur, ueluti Ale-
xander fecit 1. meteor.

Opinio propria. Cap. 10.

E XPLOSIS *aliorum ſententijs modo reliquum eſt, ut no*
ſtram afferamus, quare dicimus, ꝙ cùm animę ſint tres, ue
getatiua, ſenſitiua, & intellectiua, ſi de duabus prioribus
loquamur, perſpicuum eſt eas ad naturalem attinere, ſiquidem eas
perſcrutatur formas Naturalis, quæ cum materia mixtæ ſunt, illæ
uerò eam ſortitæ ſunt conditionem, ut à materia nunquam poſſint
abiungi, quare naturalis erunt conſiderationis, & proinde Ariſto.
1. de anima dixit naturalem eas pertractare formas, quæ materiæ
1. Phy. tex. ulti. *coniunctæ ſunt & 1. phyſ. ait de ijs formis Naturalem diſſerere,*
quæ ſunt materiales, & interitui obnoxiæ. Ad hac 6. meta. de ea
anima naturalem loqui aſſeruit, quæ eſt in materia. quare nulla ſu
per hac re accidit dubitatio in uegetatiua & ſenſitiua, ambiguitas
rema-

remanet de intellectu, quem ſeparatum à materia diximus, ſiquidem Ariſto. 6. meta. dixit à naturali tale ens tractari, quod tum re tum ratione ſit inſeparabile, intellectus uerò re ſeparatus eſt, cùm eius ſubſtantia à corpore non dependeat, quare de eo Naturalis non diſſeret. Additur etiam, Ariſto. 2. phyſ. aſſeruit ea eſſe phyſicæ conſiderationis, quæ mota mouent, intellectus uerò cùm ſit abſtractus mouet non motus, quare ad naturalem eius tractatio non ſpectabit. 2. Phy. tex. 71.
Nonnulli autem latinorum nituntur has rationes euertere accipientes intellectum bifariã conſiderari, uno modo in ſeipſo & ut una eſt intelligentiarum, quomodo de eo primus philoſophus diſputat, alio uerò modo ut motus & operationum eſt principium, & quatenus eius actio à ſenſu & phantaſia dependet, & ita materiæ eſt coniunctus, & phyſicæ eſt conſiderationis. dicunt igitur hic tractari de intellectu ut cum materia eſt permixtus, quo etiam modo per accidẽs mouetur & motione quidem non uerè nuncupata. Verùm iſti magnopere decipiuntur, dum opinati ſunt intellectum ut ſeparatus eſt, eiusque ſubſtantia à materia non dependet, à naturali non conſiderari, tantũ id abeſt à ueritate, ut eo nihil abſurdius dici poſſit, Ariſto. enim 3. de anima ea explicat de intellectu, quæ ſibi ut ſeparatus eſt competunt, ut quod ſit ſeparabilis, non cũ materia permixtus, impaſſibilis, & ſubſtantia actu ens, quæ ſibi non congruunt, niſi ut à corpore eſt ſeiunctus. Præterea ut res perfectè & exactè cognoſcatur, eſt neceſſe, omnibus illis modis conſideretur, quibus poteſt, cùm re & uere intellectus ſit abiunctus, alio modo in libro de anima nõ debebat conſiderari, exacta aliter non fuiſſet eius tractatio, quinimo alio modo, quàm eſſet, fuiſſet conſideratus. nec uerum eſt eius operationes à materia dependere, ita enim ſe haberet ſubſtantia, quandoquidem operationes ſunt ſimiles ſubſtantiæ, principioque, à quo fluunt, reſpondent. falſum eſt etiam intellectum per accidens moueri, ſiquidem per accidens quoque interiret, eſſet enim forma materiæ mixta, ex eiusque potentia educta, qualibet enim forma ita ſe habens ortui & interitui ſubijcitur. Deinde nec intellectus in ſe conſideratus ad diuinum ſpectat, à quo om̃ia tractantur ſub ratione entis, quare ſolùm ut eſt principium entis, & non ut intelligentia ab eo conſiderabitur. Aliter igitur nos propoſitas rationes diſſoluimus, & prius noſcere oportet, ut etiam paulo ante dictum eſt, ꝙ

3. De anima tex. 19.

ſcientiæ mutuò ex rebus pertractandis non ſeiunguntur, ſed ex modo differendi, eadem à compluribus facultatibus poſſunt conſiderari diuerſo tractandi modo, & proinde quæ ſeparata dicuntur, nõ modo à primo philoſopho explicari poſſunt, uerumetiam à naturali, licet ille ſic de eis diſſerat, ut ſunt principia entis, hic uerò quatenus corporis naturalis. & id nullum eſt abſurdum, cùm id de linea præcipiat Ariſto. 2. phyſ. & de recto 1. ethic. ut paulo ſupra retulimus. quare iſtorum prima ratio reijcitur, quoniam Ariſto. addidit ut plurimùm, quod dictum fuit propter intellectum, inquit Auer. ratio uero ex ſecundo phyſ. allata malè fuit accepta, ibi enim Ariſto. oſtendit, quæ ſint ea mouentia, quæ eadem ſpecie ſunt cum forma, & ait ea eſſe, quæ phyſica ſunt, hoc eſt, quæ in ſeipſis habent principiũ motus, at quæ mouentia mouent & non mouentur, non ſunt Phyſica, & hæc cũ forma eadem ſpecie non ſunt. nõ probè igitur intellexerũt illud uerbum phyſica, quod ad mouens, & non ad ſcientiam eſt referẽdũ. Ad hæc dicimus intellectum attinere ad Naturalem, quia eſt principium hominis, de quo Naturalis ſcientia multa perſcrutatur, eiuſdem autem eſt facultatis, ut crebrò dictum eſt, principia, & quæ ex his conſtant, conſiderare. Huius etiam opinionis fuit
2. Phy. cõ. 25. Auer. 2. phyſ. quando aſſeruit Naturalem ſe extendere ad animã intellectiuam uſque, & 1. meteor. inter libros ſcientiæ naturalis col
1. Meteor. cap. 1. locat hunc de anima. Vera eſt itaque noſtra opinio, ꝙ uniuerſa de anima diſciplina naturalis ſit, & de quaque anima agere munus ſit philoſophi naturalis. & de re hac id ſufficiat.

De ordine. Cap. 11.

TEMPVS modò admonet, ut ſecundum ꝙ inſtituimus, aggrediamur, de locoq;, qui huic libro eſt tribuẽdus, diſputemus. uerũ cùm ordo prius & poſterius reſpiciat, id utrũque ſcire oportet, & quem liber hic inſequatur, & cui præferendus ſit, ita enim erit exploratum & unicuique perſpectum, in qua ſede liceat eum collocari. prius tamen eos enumeremus libros, quos facultatem hanc antecellere neceſſe eſt. Primus qui omnibus præponitur, eſt liber de phyſico auditu inſcriptus quandoquidem ea, quę cõmuniter omnibus rebus naturalibus inſunt, ut principia communia, & affe-

& affectiones, quæ cæteris præferenda ſunt, tractantur: Verùm cũ reliqui ſcientiæ naturalis libri de ſubiecti ſpeciebus, & corporis naturalis diſſerant, eum primum conſtituere operæpretium eſt, in quo de priori & præſtantiori ſpecie agitur, quæ uniuerſum eſt, de quo cùm in libro de cælo diſputetur, eum primum poſt librum phyſ. iudicare oportet Tertius eſt, qui uniuersè de mixto, & de eius ortu loquitur de gener. & corr. nuncupatus, qui uerò deinceps ſunt, de mixti ſpeciebus tractant, primus tamen eſt, qui de priori loquitur ſpecie, quod mixtum imperfectum nuncupatur, cuius tractatio tribus prioribus libris meteor. complectitur. in quinto loco liber ille continetur, in quo communiter de partibus ſimilaribus fit ſermo, quem uulgus imperitorum quartum nuncupat meteororum, qui etiam pro Mineralibus extat, ut in quinta diximus Præfatione. Nonnulli uerò recentiorum alio ordine distribui libros philoſophiæ naturalis arbitrati ſunt, quandoquidem tria priora uolumina nempe de phyſico auditu, de cælo, & de gene. & corr. de principiis eſſe putarunt, reliquos uerò libros de iis, quæ ex principiis efficiuntur, & id ſenſiſſe Ariſtotelem conati ſunt oſtendere, initio enim phyſ. proponens intentionem ait prius cognoſcenda eſſe principia prima ad elementa uſq;, paulatim autem in his libris deuenit ad principia propinqua, libro enim phyſicorum communia largitur principia, in eo, qui de celo eſt minus communia, ſiquidem de cæleſti corpore tanquam de efficiente cauſa, & de quatuor elementis ut de materia, quæ minoris ſunt ambitus iis, de quibus libro phyſ. dictum eſt. uerùm quia de his non fuit abſoluta tractatio, fuit neceſſe alibi eorum aggredi ſermonem, quare perfectior & exactior libro de ortu & interitu traditur, ubi ea perfectius cognoſcuntur, quandoquidem explicatur cauſa efficiens, quam ſolem eſſe dicitur in obliquo circulo cum motu primi mobilis; atque cauſa materialis, cùm de elementorum generatione fit ſermo. Cum itaque quæque in his tribus libris diſputata ut principia diſſerantur, meritò de principiis libri nuncupandi ſunt. idem Ariſtoteles initio primi meteor. uiſus eſt ſignificare, quippe epilogo colligens quæ illucuſque dixerat, ſimulq́ue inſtituens de quibus ſit tractaturus ait. Reliquum autẽ huius methodi eſt adhuc conſiderandum quod omnes priores meteorologiam uocant. *innuit totam de natura ſcientiam duas in partes ſecari, in eam, quæ*

de

de principijs, & in eam, quæ de ijs agit, quæ ex principijs efficiuntur. Verùm iſtorum inſcitiam plurimùm admirari conuenit, quis unquam tam rudis & tam ignarus Ariſtotelicæ diſciplinæ, & tam ingenij expers extitit, qui id genus opiniones ſecutus fuerit? adeo enim à veritate abeſt hæc opinio, ut nihil ea abſurdius ſit, quod ſic primùm oſtenditur. nulla ſcientiæ naturalis datur pars, in qua non tractetur ſimul de principijs & de ijs, quæ ex illis componuntur, de his enim tractatio ad unam attinet facultatem, quare in libris illis, quos ipſi uocarunt de principijs, etiam de compoſitis diſſeritur, in unaquaque enim facultate eſt neceſſe poni ſubiectum, quod compoſitum, & ex principijs factũ eſſe oportet. quare doctrina libri phyſ. non de principijs nuncupabitur, cùm ea principaliter non conſiderẽtur, ſed de corpore naturali, qui primarius eſt ſcopus, ſimiliter uolumen de cælo à ſubiecto denominationem magis accipiens non de principijs, quæ ſecundaria intentione tractantur, dicendum eſt, ſed de Vniuerſo. uocabitur quoque liber de compoſitis, qui de ortu & interitu inſcribitur, quandoquidem de mixto uerba facit, quod ſuis conſtat principijs. Præterea tenetur ſcientia naturalis eorum, quę compoſita ſunt, tradere ſcientiam, non ſolùm autem mixta rerum cõpoſitione efficiuntur, ſed etiam elementa, & corpora cęleſtia. quare hæc omnia ut ſubiecta, & non ut principia tractari oportebat, aliter ſcientia naturalis foret diminuta, ſiquidem res tot modis conſiderari debent, quot poſſunt. tractatio etiam in ſe pręcedit eam, quę ad alterum collatione habetur, ante igitur diſputari debebant, ut res ex ſe ſunt, deinde ut principij rationem ineunt. falſum eſt etiam reliquos libros de compoſitis duntaxat dici, quippe in illis proxima inquiruntur principia. Nec rationes allatæ aliquod habent momentũ Ariſtoteles enim pollicitus eſt rerum naturalium communia & propinqua principia uenari, ut id quidem ad ſpecies corporis naturalis ſit referendum, ueluti uidere eſt in animalium ſcientia, quorum communiſſima principia libro phyſico. ſunt inueſtigata, propria in ijs, qui de animalibus tractant, ſimiliter cæli communia principia codẽ libro de phyſico auditu indagantur, quæ uerò propria ſunt in libro de cælo. nec nobis obſtat locus primi meteor. Ariſtoteles enim ibi eorum, quę dixerat, fecit epilogum, & inſtitutum propoſuit, de quibus erat locuturus, quoniam nullibi conuenientius id fieri poterat, quoniam

niam opus illud in uniuerſa ſcientia naturali medium tenet locum, ad quod cum perueniſſet, & de quibus diſſeruit, & de quibus erat diſputaturus, cõnumerauit, ueluti in medio cuiuſque rei fieri ſolet, ut præterita epilogo repetantur, & futura proponantur. Verum ut ad rem noſtram redeamus, libri, quos hunc de anima præcedere eſt perſpectum, ſunt, quos retulimus, & in re hac concordes ſunt interpretes, apud quos tamen maxima extat controuerſia, de eo qui conſequi debeat, & quos uolumen de anima præcedat.

Opinio Alberti cognomine Magni. Cap. 12.

PRIMVM ſe offert Alberti cognomento Magni opinio, qui ſextũ locum librum de anima ſibi uendicare contẽdit, poſtque eum, qui de mineris eſt, collocari, anteire uerò librum de plantis & de Animalib. ita ut in ſeptima ſede ſit de plãtis diſciplina, in poſtrema de animalib. rationib. & autoritatib. hęc opinio ſtabilitur, prima eſt ratio, ꝙ cùm Ariſt. de animatis eſſet locuturus nempe de plãtis & animalibus, cogebatur prius de anima diſſerere, quandoquidem cuiuſque cognitio, ſi eius fuerint principia, non comparatur, niſi ea fuerint cognita, quorum notitia eſt praferẽda, anima uerò eſt animatorum principium, eius igitur doctrinã præponi erat neceſſe. Secundò operæpretium eſt, cùm de ſpeciebus diſputatio eſt facienda, ut ante de genere ſit ſermo, libris uerò de animalib. de anima ſenſitiua diſſeritur, in ijs autem, qui de plãtis ſunt, de uegetatiua, quæ uniuerſæ animę ſunt ſpecies, ergo prius de anima communiter erat agendum. quare liber hic, in quo de anima tractatur, antecellit de animalibus libros. & proinde in libro de anima locuturus de anima prius uniuersè, deinde ſingillatim Ariſtoteles de ea diſſerit Tertio id præferendum eſt in doctrina, quod alteri confert, & ex quo reliqua intelliguntur, at de anima notitia magis eſt neceſſaria ei quæ eſt de corpore, quàm contra, ergo præponenda eſt doctrina de animalibus & plantis, in qua magis de corpore, & parte materiali agitur. Præterea actus prior eſt potentia tempore, natura, & cognitione, ut liquet 9. meta. anima uerò eſt actus corporis, quare eius diſciplina doctrinę ordine eſt prior. idem confirmatur 9. Met. tex. 13.

tur Ariſtotelis teſtimonio, qui initio libri de ſenſilibus ſic inquit poſtquam de anima dictum eſt, de animalibus & uitam habentibus omnibus dicendum eſt, quare ſcientiam de anima ei, quæ eſt de Animalibus & plantis præponit. & in fine de motu animal. inquit poſtquam de anima dictum eſt, modò dicendum de generatione animalium, quare fatetur ſe prius egiſſe de anima, pollicetur deinceps ſe tractaturum de animalibus. Adducunt præterea fautores huius opinionis doctrinæ ordinem eſſe duplicem, unum, quem inter doctrinas uniuerſas inueniri aſſeuerāt, cuiuſmodi ſunt Metaphyſica, Naturalis, & Mathematica, alterum uerò inter partes unius ſcientiæ, in uniuerſis talis ſeruatur ordo, ut à faciliorib. exordiamur, ueluti 5. Met. tex. 1. *Ariſtoteles 5. meta. uiſus eſt innuere, quo factū eſt, ut uetuſtiores Mathematicas diſciplinas in primis addiſcendas putauerint, facilius enim doctrina complecti poſſunt. Has conſequitur Naturalis, poſtremò uerò Metaphyſica, quę de rebus magis abditis & occultis uerba facit. inter partes unius ſcientiæ alius attenditur ordo, ut nō quæ magis facilia ſunt, ſed cognitu difficiliora præferantur, cùm is uſurpetur ordo, qui eſt ſecundum naturam, quo Ariſtoteles in philoſophia naturali uſus eſt, ut ſemper à communioribus ad minus cō munia profectus fuerit, in quibus naturæ ordo animaduertitur: ut igitur talem tueretur ordinem, fateri cogimur de anima prius tractaſſe ante doctrinam de plantis & animalibus, quę natura poſteriora ſunt.*

Opinio improbatur, & rationes diluuntur. Cap. 13.

VERUM huius uiri ſententiam non probo, nec ei adhęrendum eſſe opinor, primum quia ſcientiam hanc de anima ab ea, quę eſt de animatis, ſeiungi arbitratur, quod à ueritate abhorret, quandoquidem anima eorum eſt principium, uniusq; eſt facultatis de principijs, & de ijs, quę ex principijs fluunt, agere, nec id diuerſis conuenit diſciplinis. Prętereà Ariſtoteles exordio primi meteor. ea proponens, de quibus poſt doctrinam meteorologicam erat dicturus, ait de animalibus ſe tractaturum, nec de anima

ma

ma meminit. quare aut liber de anima ſub doctrina de animalibus complectitur, aut in ſexto loco minimè eſt reponendus. Ad hęc in fine libri de mineralibus pollicetur ſe de animalibus & plantis locuturum, nihil dicens de anima. Deinde in calce de inceſſu animaliũ epilogo repetens quæ dixerat, & inſtituens de quibus eſt tractaturus, ſic ait De partibus igitur cùm aliis, tum ijs, quæ ad inceſſum animalium faciũt, nec non ad omnem per locum mutationem hoc ſe habet modo, ijs autem ſic determinatis, proximum eſt de anima contemplari. *Quare poſt ſermonem de Animalibus conſtituit librum de anima. hoc idem confirmatur ex fine libri de communi motu animalium, ubi colligens epilogo quæ dixerat, primo loco repetit librum de animal. partibus & ſic ait.* De partibus igitur uniuſcuiuſque animalium, & de anima, præterea de ſenſu & memoria & ſomno dictum eſt. *opinio igitur Ariſtotelis non fuit, ut ſcientia de anima præponatur ei, quæ eſt de animatis. Soluendæ modò ſunt rationes, quę nullius ſunt roboris, & ad primam reſpondetur, ꝙ uerum eſt animata cognoſci ex eorum principijs, atque ex ipſa anima, tamen non eſt neceſſe, ut de anima in altera tractetur facultate, quinimo uno in loco de principijs, & de ijs, quę ex principijs oriuntur, agere oportet. Secunda ratio falſæ innititur radici, ſiquidẽ uerum non eſt in libris de animalibus, ſi eos à libro de anima ſeiũgamus, & in libro de plantis tractari de ſpeciebus animæ, ſolũ enim in illis de parte materiali fit ſermo teſte Auer. initio libri meteor. cognitio enim animæ habetur in proprio tractatu, ubi etiam ſeparatim de qualibet anima diſſeritur. Nec tertia ratio aliquod habet momentum, quoniam facilius corpus, quàm anima cognoſcitur, & proinde Ariſtoteles in animæ definitione ſumpſit corpus, fit autem definitio ex notioribus, ut liquet 6. Topic. præterea ut ſecundo conſtat de anima, cognoſcitur anima ex potentijs, hæ uerò ex organis, quorum noticia ex operationibus comparatur, cùm autem organa ad animæ cognitionem conferant, quæ materiæ locum tenent, meritò ex materia animam innoteſcere putandum eſt. & iccirco Ariſto. librũ de partibus materialibus ei, qui eſt de anima, præpoſuit. & Alexander initio ſuæ paraph. dixit ante inquiſitionem de anima corporis apparatum eſſe conſiderandum. Ad quartam nonnulli reſpondent ꝙ naturæ ordine præfertur anima, uerùm ordo hic interdum peruer-*

Z *titur,*

titur, ut ab eo incipiamus, quod eſt nobis notius, & ideo Ariſto. eũ ſecutus ordinem de partibus prius egit materialibus. ſed hæc ſolutio mihi non arridet, ſiquidem capiunt formam & actum priorem eſſe materia & potentia, quod uerum non eſt, unumquodque enim ex materia præxiſtente procreatur. Præterea antequam aliquod actu ſit eſt neceſſe, ut potentia prius fuerit, ergo potentia antiquior eſt actu. nec Ariſtoteles 9. meta. aliter ſenſit, ibi enim declarat quomodo actus prior potentia ſit tempore; & ſic ait. Tempore autẽ prius ſic, quod idem ſpecie agit prius, numero uerò non, dico autem hoc re. *ſi enim actum & potentiam ratione diuerſorum animaduerterimus, eſt perſpicuum ꝙ actus prior eſt potentia, nam homo potentia ab eo qui actu eſt, fit actu homo, quare unius actus & agentis præcedit potentiam alterius & paſsi. uerum ſi de eodem loquamur, potentia actum antecellit. aſſerere igitur ſimpliciter actum præcedere potentiam, eſt falſum. ſi autem unum numero animal reſpiciamus, materia prior eſt forma, quæ ex illa educitur. Ad id quod ex opuſculo de ſenſilibus affertur. dicimus non rectè fuiſſe uerba allata, Ariſtoteles enim ibi pollicetur de animalibus & uitam habentibus, quæ nam ſint communes & proprię eorum operationes, inquirere, quod nos minime negamus. nec nobis obſtat locus ex libro de motu animal. acceptus, affirmamus enim librum de anima eum, qui eſt de animalium generatione, præcedere, uerùm ante illum de anima complures ſunt de animalibus, ut de hiſtoria liber, de partibus, & de inceſſu. quod uerò de ordine uniuerſarum ſcientiarum dictum eſt, minimè reijcimus, illud tamen euertimus, in partibus unius ſcientiæ ſemper ordine ſecundum naturam ſit utendum, in eis enim interdum ab ijs, quæ intellectu facilia ſunt, auſpicamur, & aliquando à nobiliori, & proinde Ariſto. 5. meta. magis de ſcientię partibus loquens ſic ait* Ex oppoſito uerò aliud principium eſt illud, unde quodq; optime fiat, ut doctrinæ non à primo ac rei principio aliquando inchoandum eſt, ſed unde quis facilius diſcat *paſsim hunc uſurpauit ordinem, in facultate analitica prius de demonſtratione locutus eſt quàm de definitione perinde ac de ſpecie notiori, & ſecundo de anima tractaturus de ſenſibus non de eo prius uerba fecit, qui natura alios antecellit, ſed de nobiliori ut puta de uiſu. Dicimus itaque locuturus de animatis Ariſtoteles prius de notiori*

ſpecie

ſpecie agit nẽpe de animalib. in quorum libris, qui de anima eſt, numeratur, prius autẽ libro de partibus animal. de parte materiali egit, ex ea enim anima, & pars formalis erat cognoſcenda. Verum quis ambigeret, forma notior eſt materia, quæ ſecundum analogiam cognoſcitur, ut liquet 1. phyſi. Reſpondetur, quòd materia eſt duplex prima, & ſecunda, prima eſt informis & potentia exiſtens ad omnẽ formam, & hæc magis ex forma claret, quandoquidem ſenſibus non ſubijcitur. quæ uerò ſecunda eſt, omni forma non ſpoliatur, de qua nunc nos loquimur, quæ etiam ab Ariſt. fuit explicata libro de partibus, & ex hac quamcommodiſsimè anima innoteſcit, ueluti ſunt partes ſimilares & organicæ, quæ ſtatim nobis conſpiciuntur. 1. Phy. tex. 69.

Auerrois opinio. Cap. 14.

AVERROIS aliam ſecutus eſt opinionem, arbitratusq́ue eſt, ut teſtatur initio primi meteor. de anima librum in octauo loco cõſtitui, ut poſt librum de mineralibus in ſexta ſede is collocetur, qui de plantis, in ſeptima uerò qui eſt de Animalibus, deinde liber de anima conſequatur, in nono & poſtremo loco ſcientiæ naturalis ſint libri Paruorum Naturalium. Deinceps ait ibi Auer. ad libros uſque de animalibus Ariſtotelẽ uſum fuiſſe eo ordine, qui eſt ſecundum neceſſarium, in ijs uerò, qui deinceps ſunt, eo qui eſt ſecũdum melius notius. Verum ut hæc Auer. opinio eluceat, animaduertere oportet, doctrinæ ordinem eſſe duplicem, unum, qui ſecundum neceßarium dicitur, alterum ſecũdum melius, tunc ordinem ſecundum neceßarium ſequimur, quando ea primum docemus, ſine quibus cætera perdiſci nequeunt, ex illisq́ue hæc cognoſcuntur, ſicuti Auer. 1. de anima teſtatur de ſcientia de anima, quam neceſſariò ait librum de Animalibus præcedere, quippe animalium cognitio ex animæ notitia oritur, neceſſarioq́ue prius principia noſcere oportet. & proinde Ariſtoteles primo phyſ. aſſeruit principia eſſe cognoſcenda pro rerum naturalium ſcientia. dicitur etiam ordo hic ſecundum naturam, quia ex ijs proficiſcitur, quæ natura priora ſunt. uerùm cùm doctrinæ principium interdum non ſit rei principium, ſed unde quis facillimè addiſcere poteſt, ut patuit ex Ariſtotele 5. meta. ideo datur & alius doctrinæ ordo, qui ſecun- 1. d̃ anima. c6.2.

dum melius dicitur,& hic duplex eſt;aut ſecũdũ melius notius,aut ſecundum melius nobilius teſte Auer.in proœmio 1.poſt.aliquando enim ab eo,quod notius eſt,melius eſt exordiri,ut liquet libro poſt ubi de Demonſtratione prius quàm de definitione, ut de notiori ſpecie Ariſtoteles locutus eſt,interdum uerò à nobiliori incipimus, & proinde in ſecundo de anima de uiſu perinde ac de nobiliori ſenſu prius dictum eſt. quandoque igitur melius eſt,ut notius, aut præſtantius præferatur , quamuis id non ſit neceſſarium. Ex his facilè Auerrois opinio percipi poteſt. ſiquidem dixit ad librum uſque de animalibus doctrinę ordinem eſſe ſecundum neceſſarium, quia communiora,& quæ principiorum rationem habent,pręponuntur,ſine quibus quę deinceps ſunt,exactè cognoſci non poterant. diſciplinæ autẽ,quæ eam antecellunt,quæ eſt dę animalib.cõmuniora pertractãt,ut priores uniuerſa,poſteriores uerò ſingula.libro.n.phyſico.de ijs,quæ latioris ambitus ſunt,diſſeritur;quorũ cognitio poſterioribus ſummopere neceſſaria eſt.Cõſimili ratione ſi doctrina de cęlo ad ea referatur,quæ in ijs,qui ſequũtur,libris tractantur,perſpicuũ eſt de magis cõibus diſputari,nimirũ de corporib.ſimplicib.ex quib. mixta componuntur. Pręferendus eſt etiã poſterioribus de ortu & interitu liber,in quo de uniuerſo mixto agitur.tres verò priores meteororum,in quibus de mixtis imperfectis diſſeritur, libro quarto , in quo de perfectis agitur,pręponuntur,quandoquidem imperfecta natura perfectis præferuntur. Pręterea cùm plantę priores ſint ſecundum naturam animalibus, meritò de plantis liber eum,qui eſt de animalibus,pręcedit,nam licet plantę ſpecies ſint animati corporis, ueluti animalia, ut hac ratione eis priores dici nõ poſſint,cùm ęquè à genere diſtent,tamen quia ſimpliciores ſunt,ſiquidem pauciora cõtinent,animamque priorem complectuntur,iccirco natura priores dicuntur. Huc uſq; igitur Ariſto.iuxta Auerrois ſententiam ordine naturę uſus eſt,ſcientia autem de animalibus librum de anima antecellit ſecundum melius,& notius,ſecundum neceſſarium de anima doctrina eſſet pręferenda,ordine igitur ſecundũ notius de Animalibus libri pręferuntur , quandoquidem in his inquit Auerrois, materiales partes animalium explicantur , quæ cùm ſenſui ſubijciantur , ipſa anima notiores ſunt . Probat Auerrois librum de plantis eum,qui eſt de animalibus,pręcedere,ſunt enim plantę ſimplicio-

pliciores, naturaque priores, ſiquidem uegetatiuam duntaxat animam obtinent, in animalibus uerò præter hanc ineſt ſenſitiua, præponuntur autem, quæ magis ſimplicia ſunt. Præterea eo ordine animata ſunt conſtituenda, quo eorum animæ collocantur, anima uerò uegetatiua, quæ in plantis inuenitur, prior eſt ſenſitiua, quæ in animalib. meritò igitur liber de plãtis eũ, qui eſt de animalib. antecellit.

Opinio reiicitur, ſoluunturque rationes. Cap. 15.

HAEC *autem Auerrois opinio à uero aliena eſt, multiq; in ea inueniuntur errores, in primis uerum non eſt librum de plantis de animalibus facultatem anteire, præterea eſt falſum de anima diſciplinam à libris de animalibus ſeiũgi, à ueritate etiam illud abborret paruorum naturalium libros eum, qui de anima eſt, conſequi, diſtinguique à libris de animalibus, & de anima. Hæc tantum abſunt ab Ariſtotelis mente, ut nihil magis recedat, & ut ſigillatim quique error aperiatur, id primùm deſtruemus, librum de plantis præcedere, qui de animalibus eſt. eo ordine de animatis agendum erat, quo eorum opera tractari oportebat, Ariſtoteles initio de ſenſilibus inſtituit ſe prius tractaturum tum communia tum propria animalium opera, poſtea quæ ſunt plantarum, ſi igitur de animalium actionibus ante ſit ſermo, ſimiliter animalium tractatio ei, quæ eſt de plantis, præferenda. Præterea exordio primi meteor. proponens de quibus eſſet dicturus, poſt meteorologicã facultatem ait de animalibus & plantis, ubi de animalibus orationem diſciplinæ de plantis propoſuit & adiecit, his dictis erit finis totius ſcientiæ de natura. Ad hæc in calce quarti tractationem de animalibus ſcientiæ de plantis præpoſuit. Præterea 1. de gen. animal. pollicetur ſe de plantis in opere ſeorſum tractaturum, & in fine libri de long. & breuit. uitæ cùm in ſermonem de plantis incidiſſet, ait ſe de eis locuturum in libro de plantis, quoniam tunc fatetur ſe de animalibus agere. Teſtimonio itaq; Ariſtotelis conſtat libros de animalibus eum præcedere, qui eſt de plãtis. quod idẽ rationibus moliri poſſumus, doctrinæ ordo ab eo ſæpius incipit, unde quis facillime addiſcere poteſt, ut patet. 5. meta. partes uerò plantarum materiales,*

1. de gene. animal. c. 1.

teriales, de quibus teſte Auerr. agitur in libro plantarum, ex partibus animalium materialibus innoteſcunt, quare animalium doctri
2. d'anima *nam præferri oportet, Ariſto. Secundo de anima ex proportione ad*
tex. 6. *partes animalium materiales explicat eas, quæ plantarum ſunt, ait enim radices in plantis reſpondere ori in animalibus, & inferius ar*
tex. 38. *guens Empedoclem aſſerentem folia eſſe ſurſum, radices uerò deorſum, ait ſurſum eſſe, ubi uiuens accipit nutrimentum, & ex proportione in partibus animalium oſtendit partes in plantis. Si igitur plā tarum notitia ex animalibus comparanda eſt, perſpicuum eſt de animalibus libros diſciplinæ de plantis præponi. Nec rationes allatæ alicuius ſunt momenti, quandoquidem doctrinæ ordo, ut dictum eſt, non ſemper ab eo, quod eſt antiquius ſecundum naturam, exorditur, ſed interdū à notiori, quā ob cām liber de animalibus eū, qui eſt de plātis, antecellit. quare ſi de ordine ſecūdū naturā loqui uolumus aſſentimur de plantis facultatem præcedere, uerùm ſecundum notius contra res ſe habet. deceptus eſt etiam Auerrois cùm librum de anima ſeiungi ab ijs, qui ſunt de animalibus, putauerit, ut à libro de hiſtoria animal. de partibus, & de generatione animalium, quos ſolùm opinatur uocari de aīlibus libros, nos. n. paulo infra mōſtrabimus diſciplinam de anima ſub ſcientia de animalibus complecti. lapſus eſt etiam Auer. cùm dixerit omnes libros paruorum naturaliū librum de anima conſequi, quippe de inceſſu animalium opuſculum quod paruis philoſophiæ partibus adnumeratur, præfertur, ut ex Ariſtotele patet in fine illius operis, ubi cùm epilogo collegiſſet, quæ dixerat libro de partibus & de inceſſu, proponit ſe de anima tractaturum, quare de anima liber poſtponitur ei, qui eſt de inceſſu. Falſum eſt quoque paruorum naturalium libros ab ijs, qui ſunt de animalibus, ſecerni, ut paulo poſt monſtrabimus.*

Opinio propria. Cap. 16.

A*LIORUM reiectis opinionibus in præſentia noſtra eſt afferenda & quid in re hac Ariſtoteles ſenſerit, aperiendum. Verùm cùm de ordine ad librum uſque mineraliū ab alijs non diſſentiamus, illud duntaxat breuiter perſtringemus, qui poſt librum de mineris ſtatuendus ſit. noſtra hæc eſt opinio, ut li*

ber

ber de animalibus conſequatur ſextam ſibi uendicans ſedem, poſt quem in ſeptimo loco ſit liber de plantis, in quo finis imponitur ſcientiæ de natura, & id paulo ſupra conſtitit, ubi contra Auerroim diximus Ariſtotelem ſecundum naturam peruertiſſe ordinem ob noſtrum addiſcendi modum. quare exploratum eſt librum de animalibus doctrinam de plantis anteire. Verùm cùm de animalibus diſciplina multos complectatur tractatus, ut librum de hiſtoria, de partibus, de inceſſu animalium, de anima, de generatione animalium, & libros paruorum naturalium. duo ſcire oportet, primum eſt, an omnes, quos enumerauimus libros, ſub diſciplina de animalibus cõprehendantur. Secundum quo ordine ſunt conſtituendi. Et ut primũ aggrediamur, libris de animalibus, qui de hiſtoria eſt, adnumeratur, quod ex inſcriptione primùm liquet, quandoquidem de animalium hiſtoria nuncupatur. Præterea quæ ibi tractantur, ad animalium facultatem ſpectant, quatuor enim ibi de illis confuſa quadam cognitione diſputantur, primum ad eorum naturam ac ſubſtantiã, operationesq́ue nempe ad ſenſum & motum attinet, & hęc prioribus quatuor libris complectuntur, agere autem de his eius eſt diſciplinæ, quæ de animalibus differit. ſecundum autem, de quo ibi diſputatur, omnium animalium generationem reſpicit, & id quidem in tribus, qui deinceps ſunt, libris continetur. Tertium eſt de animalium uita & morte, de quo in octauo agitur. Quartum ad mores pertinet animalium nono comprehenſum. hęc autem ſunt ea omnia, quæ in opere de hiſtoria diſputantur, quę cùm unicuique perſpectum ſit ad animalium attinere cognitionem, iurè in ijs numerandum eſt libris, qui de animalibus habentur. in his ſimiliter complectitur, qui de eorum partibus nominatur, ſiquidem pro rei exacta cognitione omnia principia opus eſt noſcere, teſte Ariſtotele initio libri phyſicorum, animal autem ut ex internis principijs, ex materia & forma conſtat, de utraque igitur habenda erat doctrina pro eorum perfecta ſcientia, ſicut etiam teſtatus eſt primo de partibus. uerùm cùm eorum materia ſenſibus ſubiecta ſit, notiorq́ue forma, meritò de ea prius tractatum eſt libro de partibus animalium, ubi omnes animalis partes materiales præcipiuntur, ut in fine quarti meteor. Ariſtoteles inſtituerat, cùm dixerit ſe locuturum de ſimilaribus & diſſimilaribus partibus, quod idem monuit initio de partibus & in fine libri 1. de partibus aial. c. 1.

libri quarti eiuſdem earum colligens epilogum ſic ait. Sed de partibus animalium quam ob cauſam quæque ſint, dictũ iam eſt per omnia animalium genera. *Perſpicuum eſt igitur inter libros de animalibus connumerari eum, qui de partibus inſcribitur. conſimili ratione in ijs numeratur de inceſſu uocatus, ibi enim de partibus materialibus, quæ motui animaliũ deſeruiunt, agitur, ut teſtatur Ariſtot. in calce de partibus. tractare uerò de motu animalium & de partibus ei auxiliantibus munus eſt diſciplinæ de animalibus, ſiquidem eiuſdem eſt facultatis de principijs, ſubiecto, & de affectionibus agere. nec eadem eſt diſputatio de motu, quæ hìc habetur, & quæ in libro de communi motu animalium fit, hìc enim de motu tractatur penes inſtrumentorum differentias, quibus animalia mouentur, ibi uerò de motu uniuersè diſſeritur, ut ad differentias animalium & inſtrumentorum non contrahitur, utraque tamen doctrina ad ſcientiam de animalibus attinet, cum de eorum agatur operibus: ut autem de his duobus, idem intelligendum eſt de cęteris paruorum naturalium libris, & primùm id de eo, qui de ſenſu & ſenſili inſcribitur, oſtendimus. unius ſunt partes de obiectis agere, & de potentijs, quarum ſunt obiecta, ueluti Ariſtot. 2. de anima præcipit,* 2. de anima tex. 33. *ſunt autem ſenſuum obiecta ſenſibilia, quare ad eandem attinebit facultatem de ſenſibilibus & ſenſibus diſſerere, munus eſt de animalibus ſcientiæ de anima de eiusq; potentijs loqui, cùm igitur libro de ſenſu & ſenſili de ſenſibilibus, quæ ſenſuum ſunt obiecta, fiat ſermo, non ab re liber ille in ijs numerabitur, qui agunt de animalibus ad eandem quoque doctrinam agere ſpectat de ſenſiterijs ſenſuum ve inſtrumentis, quippe partes animalium materiales ſunt, in ijsque ſenſus figuntur, quare eodem libro de illis dictum eſt. nec non ad ſcientiam de animalibus de ſomno & uigilia, de memoria & reminiſcentia attinet pertractare, hæc enim aut omnium ſunt animalium affectiones, ut ſomnus & uigilia, aut perfectioribus inſunt, ſicut memoria & reminiſcentia, cùm unius ſit facultatis ſubiectum eiusque accidentia contemplari, meritò de eis agere, quę affectiones ſunt animalium, ad eandem attinet diſciplinam, cuius eſt quoque tractare de longitudine & breuitate uitæ, de ſenectute & iuuentute, de inſpiratione & expiratione, de morte & uita, & de ſanitate & morbo. hęc. n. oĩa eorũ ſunt affectiones, ad eandẽq; attinẽt*

attinẽt facultatem. His igitur conſtat libros paruorum naturalium in ijs numerari, qui de animalibus diſſerunt, in quibus etiam de generatione animalium liber comprehenditur, ueluti perſpicuò ex inſcriptione liquet, & ex ijs, quæ initio illius operis Ariſtoteles ſcribit, quandoquidem de eorum efficiente mouenteve pollicetur ſe tractaturum, quo animalia procreantur, ſimul etiam de generatione, & de partibus, quæ generationi conducunt, ut de utero, & de cæteris id genus partibus, eſt autem animalium affectio generatio. nemini itaque dubium eſt facultatem hanc ad eam, quæ de animalibus, ſpectare. Verùm cum hæc dixerimus, ad noſtrum modò redeundum eſt inſtitutum, gratia cuius cætera omnia prodidimus, aperiendumque eſt ſub eadem de animalibus facultate complecti librum de anima, quod rationibus & auctoritatibus conabimur. Eſt prima ratio eiuſdem eſt diſciplinæ de principijs, & de ijs, quæ ex illis efficiuntur, diſſerere, ut paſſim dictum eſt, anima eſt animalis principium, quare de anima liber, qui de principio animalis agit, inter libros de animalibus connumerabitur. Prçterea ad eandem ſpectat facultatem de materia & forma pertractare, ut patet 2. phyſ. ſed de animalibus ſcientia de materia iſtorum agit, ut monuit Ariſto. in exordio primi de partibus animalium, ergo eadem de forma faciet uerba, anima uerò eſt animalis forma, de qua diſſeritur libro de anima quare facultas de anima pars erit eius, quæ eſt de animalibus. deinde in uolumine de anima agitur de principio animalis, ergo de animali habetur doctrina, argumentandi modum mutuamur ab Ariſtotele aſſerente 12. meta. de ſubſtantia fieri ſermonem, quia eius principia inquiruntur, & 4. eiuſdem fieri contemplationem de ente, ſi quidem entis principia indagantur, conſimili modo nos dicimus, quòd ſi animalis principium largitur, ergo de animali eſt intentio. Adhęc coniunctorum & relatiuorum una eſt ſcientia, autore Ariſtotele primo de partibus animal. anima uerò, quæ forma eſt, & corpus, quę materia, mutuo referuntur, relatiuaque ſunt, ut patet ex animę definitione, in qua corpus fuit acceptum, ergo de eis agere unius erit ſcientiæ, at de animalium materia ſciẽtia de animalibus diſputat, eadem igitur de forma loquetur. Hoc idem teſtimonio Ariſtotelis confirmatur, qui primo de partibus animalium oſtendit ab ijs animam conſiderari, quibus ſcopus eſt animalium notitiam

2. Phy. tex. 22.

12. Meta tex. 1.

4. Met. tex. 1.

nanciſci, quandoquidem ait animal aut eſſe animam, aut non ſine
anima,& quàm primum e corpore anima diſceſſerit, animal eſſe de
ſinit, æquiuocèque dici animal. Ariſtoteles igitur animę cognitio-
nem ad eum attinere ſentit, qui de animalibus diſputat. Deinde de
anima liber inter eos complectitur, qui de animalibus diſſerunt, er-
go ab illis non ſeiungendus. in fine enim de inceſſu animalium cùm
Ariſtoteles de animalium materia diſſeruerit, de anima ſe tractatu
rum pollicetur,& initio de ſenſilibus teſtatur ſe de aīa egiſſe, libri
uerò de partibus, & de inceſſu animal. atq, de ſenſu & ſenſili de
animalibus ſunt, cùm autem inter hos medius ſit de anima liber, fa-
teri cogimur libris de animalibus adnumerari, alioquin confuſa &
perturbata foret de animalibus ſcientia,& in calce de communi mo
tu animal. epilogo repetens quę dixerat, ait dictum fuiſſe de anima-
lium partibus,& de anima, prętcrea de ſenſu,& memoria,& ſom-
no,& communi motu, ubi inter libros de animalibus eum conſtituit
qui de anima extat, omneſque cum libro de generatione coniungit.
Deinde in fine de longit.& breuitate uitæ proponens ea, de quibus
eſt dicturus, ſic ait. Reliquum autem nobis conſiderare de iu-
uentute & ſenectute,& uita & morte, his enim determinatis
finem vtiq; habebit, quæ de animalibus methodus. *Omnes igi-*
tur libros de animalibus eſſe innuit, cùm dicat, his determinatis finis
erit eius methodi, quę eſt de animalibus. His igitur conſtat librum
de anima partem eſſe facultatis de animalibus, in eodemque loco po
nendum, quare ſextum locum ſibi aſciſcet, qui ſimiliter de animali-
bus ſcientiæ tribuitur. Et hæc hactenus de primo, quod inſtituimus.
Ad ſecundum modo accedendum eſt, & quem ordinem inter ſe de
Animalibus libri obtineant, quos enumerauimus, explicemus. pro
cuius præceptione id accipere oportet, de animalibus doctrinam
duas in partes ab Ariſtotele fuiſſe diuiſam, in eam nempe, quæ ani-
malium, quia duntaxat tradit, & in alteram, quæ cauſam & pro-
pter quid largitur eorum omnium, de quibus quia habitum fuit in
priori parte. ueluti primus Ludouicus Buccaferreus, ne alicui quod
ſuum, eſt, eripiam, aperuit & docuit. Ariſtoteles more hiſtoriarum
ſcriptoris in parte dante quia proceſſit, quandoquidem ſimplici uti-
tur narratione rem inſtar hiſtoricorum explicans,& nullam eorum,
quę ſcribit, adijcit cauſam. nec id præter rationem eſt, ſiquidem hoc

idem

idem inuenire licet in ijs facultatibus, quæ mutuò diſiunguntur ſolum in hoc inter ſe conuenientes, quòd una alteri ſubijcitur, ſubalternatæque ſunt, in qnarum una quia tantùm cognoſcitur, in altera uero propter quid. Si igitur hæc duo quæſita, quia ſcilicet & propter Quid, indiuerſis abſoluuntur diſciplinis, idem uſu ueniet in partibus unius facultatis, ſic enim expoſcit noſter cognoſcendi modus, ut prius Quia aſſequamur, poſtea propter quid. Cùm autem animalium cognitio ob eorum nobilitatem multa egeret perſcrutatione, opus fuit eam duas in partes ſecari, in quarum una ipſum Quia ſciretur, quæ nouem libris de animalium hiſtoria comprehenditur, ubi Ariſtoteles more hiſtoriæ ea rimatur, quæ ad animalium ſpectant notitiam. Altera pars reliquis de animalibus libris continetur, quod ex Ariſtotele ſecundo de partib. animal. confirmatur, ubi ſic ait. Ex quibus nam, & quot numero membris ſinguanimalia conſtarent, libris hiſtoriarum, qui de his ſcripti à nobis ſunt, planius explicauimus, nunc quas ob cauſas quæque ad hunc modum ita ſe habent, conſideremus, uidelicet ita, ut omnis ratio ſeiuncta ab iis, quæ per hiſtorias expoſuimus, tractetur. *Fatetur igitur libro de hiſtoria animalium ſe egiſſe per modum hiſtoriæ, & quòd in libris de partibus rationem & cauſam reddat. quod idem protulit libro de inceſſu, ubi inſtituens de partibus animalium motui ſeruientibus ſe locuturum ſic ait.* De omnibus certe iis, & quæcunq; iſtis ſunt cognata, perſcrutandæ ſunt cauſæ, quod enim hoc contingat modo, ex naturali palam eſt hiſtoria, quam autem ob cauſam, nunc eſt inueſtigandum. *Liquidò igitur conſtat hiſtoriæ modo Ariſtotelem egiſſe in priori parte. in altera uerò cauſam & rationem indagat. Quatuor autem, ut paulo ſupra tetigimus, de animalibus erant inueſtiganda, primum ſubſtantia & natura cum proprijs eorum operationibus. Secundum generatio, qua quodque eorum gignitur. Tertium uita, & mors. Quartum eſt de moribus. Quæ omnia complexus eſt more hiſtorico rum confuſa quadam ratione in libris de hiſtoria animalium. Primum autem docuit in quatuor prioribus libris, in quibus de partibus, ex quib. animalium ſubſtantia perficitur, agit, ſicut etiam de eorum operationibus utputa de ſenſu & motu, quæ propria animaliũ opera dicuntur, ut liquet 1. de anima. Tractat ſecundum in tribus,*

2. de partibus anim. cap. 1.

lib. de inceſu animal. cap. 1.

1. đ anima. tex. 19.

Aa 2 qui

qui ſequuntur, libris, vbi de omnium animalium generatione diſſerit. Octauo libro de morte, & uita. nono autem de illorum moribus. Theodorus Gaza à prioribus libris abſtulit decimum, & id quidem non iniuria, ſiquidem in eo alius docendi modus conſpicitur, cauſa enim fertilitatis & ſterilitatis redditur, quod minimè ad eã attinet facultatem. Hanc autem partem, in qua quia diximus tradi, ea cõſequitur, quæ cauſam aperit, & in cæteris de animalibus libris complectitur, in qua primum de materia diſputatur, ſiquidem notior eſt forma, tum quia ſic natura in rerum productione progreditur, ut prius materiam, ex qua forma procreanda eſt, præparet. proximè igitur poſt libros de hiſtoria ij ſequuntur, qui de partibus, & de inceſſu ſunt conſcripti. ueluti Ariſtoteles 2. de partib. & de inceſſu cap. 1. *innuit, cùm librum de hiſtoria uocat. hęc pars ei de hiſtoria reſpondet, quę ea largitur, ex quibus animalis ſubſtantia conſtituitur, cum qua ſimiliter coniungitur de anima liber, ſiquidem in ea pars declaratur materialis, in diſciplina uerò de anima pars formalis, ex quibus animalis ſubſtantia efficitur. prior eſt liber de partibus eo, qui eſt de inceſſu, quoniam communior eſt, cùm in eo uniuersè de omnibus materiæ partibus agatur, libro uerò de inceſſu de ijs tantum, quæ motui inſeruiunt. hic etiam ordo ex Ariſtotele elicitur, qui in fine de partibus ſic inquit.* Sed de partibus animalium, quam ob cauſam quæque ſint, dictum iam eſt per omnia animalium genera, quæ cùm explicata ſint, ſequitur, ut de partibus animaliũ inceſſui deſeruientibus diſſeramus. *Et in fine de inceſſu colligit quæ dixerat prius in libro de partibus, deinde quæ in eo de inceſſu ſequitur deinceps de anima liber, ut ibidem Ariſt. ſignificauit quando ſic ait.* Iis autem ſic determinatis proximum eſt de anima cõtemplari. *Pars igitur, quæ animalium ſubſtantiam explicat, libris de partibus, de inceſſu, & de anima comprehenditur, quę priori parti de hiſtoria reſpondet. pars, in qua de operationibus agitur, ea eſt, quę de ijs, quę ad ſenſum & motum attinent, diſſerit. uerùm quia ſentire uidetur magis proprium animalium, ſiquidem propter ſenſum talia dicuntur, merito prius de ijs diſputauit Ariſtoteles, quæ hanc reſpiciunt operationem, ut de ſenſ. & ſenſ. de memoria & reminiſcentia, & de ſomno & uigilia, fuit autem liber de ſenſu prępoſitus ei, qui eſt de memoria, nã ſenſus exterior prior eſt interiori. Sequitur*

quitur poſt de ſomno & uigilia liber, quippe ad ſenſus uidentur attinere, eſt.n. ſomnus oīum ſenſuū ligamentū, cui uigilia opponitur: præterea ut tertia tēporis differentia cōplecteretur, ſenſibus enim exterioribus præſentia dignoſcimus, memoria præterita, ſomno uerò nonnulli dicunt futura præſciri. Deinceps eſt liber de communi motu animalium, in quo de altera animalium operatione tractatur ut puta de motu. ex Ariſtotele hic ordo colligitur, initio de ſenſ. & ſenſ. ſic ait. Quoniam autem de anima ſecundum ſeipſam determinatum eſt prius, & de uirtutum qualibet ſecūdum partem ipſius, conſequens eſt facere conſiderationem de animalibus, & uitam habentibus omnibus, quæ ſunt propriæ & quæ communes operationes eorum. *librum de ſenſu is conſequitur, qui eſt de memoria, ut in fine de ſenſ. & ſenſ. habetur, ubi ſic inquit Ariſtoteles.* De ſenſorijs & ſenſibilibus dictum eſt, reliquorum autem primo conſiderandum de memoria & reminiſcentia. *eſt deinceps liber de ſomno & uigilia, in calce enim de communi motu animalium ſic omnes libros conſtituit.* De partibus igitur vniuſcuiuſque animalium, & de anima. præterea de ſenſu, & memoria, & ſomno, & cōi motu diximus cauſas, reliquum autem eſt de generatione dicere. *in omnibus itaq; his libris ea pars fuit abſoluta, quam priorem ſtatuimus libro de hiſtoria animalium. Secundæ uerò parti quinq; de animalium generatione libri reſpondent, quare eum ſequuntur, qui de communi motu eſt, ut teſtatus eſt Ariſtoteles in fine illius opuſculi. Pro tertia parte de hiſtoria hi habentur libri nempe de longit. & breuitate uitæ, de iuuentute & ſenectute, de inſpiratione & expiratione, de morte & uita, & de ſanitate & ægritudine. præcedit autem liber de longitudine & breuitate uitæ, quandoquidem uitæ longitudine ſenectutem acquirimus, breuitate uerò iuuentutem non pertranſimus, quare de iuuentute & ſenectute ſequuntur libri. Præterea cùm expirare ſit mori, uiuimus autem donec aerem inſpiramus, iurè ad ſenectutem & iuuētutem ſequuntur libri de inſpiratione & expiratione. poſtremùm mors inſequitur, qua cuncta diruuntur, non ab re ultimo loco liber de morte & de uita ei oppoſita conſtitutus eſt, poſt hunc uerò eum, qui eſt de ſanitate & morbo, habemus. Hauſimus huiuſmodi ordinem ex Ariſtotele ſic dicente in calce de longitudine & breuitate uitæ*

uitæ dictum eſt de longitudine & breuitate uitæ, reliquum autem nobis conſiderare de iuuẽtute & ſenectute, & uita & morte, his enim determinatis finem utique habebit quæ de animalibus methodus. *non meminit de inſpiratione & expiratione, quia de his oratio libro de morte & uita comprehenditur, ut initio de morte & uita liquet, ubi ſic ait.* De iuuentute autem & ſenectute, & vita & morte nunc dicendum, ſimul autem & de reſpiratione neceſſarium forte cauſas dicere. *quibus uerbis de reſpiratione librum cum eo coniungit, qui eſt de iuuentute & ſenectute, & morte & uita, & in fine epilogum faciens ſic inquit.* Et de vita quidem, & morte, & de cognatis huius ſpeculationis ferè dictum eſt de omnib. *intelligens per cognata iuuentutem & ſenectutem, & inſpirationem & expirationem, librum autem de ſanitate & morbo poſt poſuit ei, qui eſt de morte & uita, quoniam naturã magis quàm artem ſecutus eſt, nam ut patet primo de partibus animal. ſanitas non modo natura, uerum etiam arte comparari uidetur. hanc ob cauſam puto Ariſtotelem in fine de longitudine & breuitate uitæ non meminiſſe de morbo & ſanitate, imò finem methodi, quæ eſt de animalibus, conſtituit librum de morte & uita. Partem quæ reſpondet quartæ de hiſtoria ſeparatim Ariſtoteles non edidit, quia ſermo ad eam attinens ex libro de partibus colligi poterat, in quo multi animalium affectus explicãtur, cùm de tenuitate & craſſitie ſanguinis differit, ex quibus uarij in animalibus fiunt animi impetus. Tali igitur ordine libri omnes de animalibus ſunt digerendi. & hæc hactenus de ordine, de quo ſatis dictum arbitror, longumque protraximus ſermonem, ut omnis, qui iam pridem de re hac increuit, penitus tollatur error.*

1. de partibus anim. cap. 1.

De ſubiecto Prima opinio. Cap. 17.

SUPEREST, ut de poſtremo, quod propoſuimus, nunc loquamur & quod ſit inſtitutum Ariſtotelis in libro de Anima, explicemus, in qua re uariæ ſunt interpretum ſententiæ. iccirco nos à noſtro philoſophandi genere non diſcedentes primum aliorum recenſebimus opiniones. Nonnulli in hanc iuerũt ſententiam, ut operis materiam putauerint corpus animatum, quod ratio-

rationibus nituntur monſtrare, quarum prima eſt, id ſubiectum uocandum in facultate, cuius principia & affectiones largiuntur, corporis animati diſciplina hæc ea uenatur, quandoquidem de triplici diſſeritur anima, quæ animatorum eſt principium, pollicetur etiam Ariſtoteles animæ paßiones ſe traditurum, quas corporis & animę cõmunes eſſe ait primo libro: & inferius intelligere, ſentire, iraſci, & cognoſcere negat eſſe animæ paßiones, ſed magis compoſiti, & eius, quod habet animam, eſſe teſtatur. de his etiam patet egiſſe ſecundo libro, cùm de uegetare & ſentire loquitur, in tertio uerò de intelligere. quare libri intentio corpus erit animatum, gratia cuius omnia illa inquiruntur. Præterea ut ſcientiæ pars ſub uniuerſa continetur, ita partis ſubiectum ſub toto complectitur, eſt autem in uniuerſa ſcientia de natura ſubiectum corpus naturale, ut in prima diximus Præfatione, ſub quo, ut ſpecies ſub genere, ſubiectum huius diſciplinæ debet comprehendi, anima uerò cùm magis ſit principiũ compoſitioneq́ue careat, ſub eo contineri non poterit. remanet igitur corpus animatum. Deinde cùm de generis ſpeciebus faciendus eſt ſermo, prius de genere eſt loquendum, teſte Auer. ſecundo phyſicorum, quod etiam ab Ariſtotele fieri conſuetum eſt, qui de uniuerſo naturali corpore diſſeruit, antequam de eius ageret ſpecieb. ſimiliter libro de gen. & corr. de mixto communi uerba fecit, deinceps de ſingulis mixtis. idem ſeruandum erat in corporis animati ſpeciebus, ut prius de eo communiter fieret ſermo, quod nuſquam locorum inueniri poteſt, niſi in libro de anima, in quo ea traduntur, quæ uniuersè animalibus & plantis inſunt. Pręterea ſi principia de eo ſemper inueſtigantur, cuius ſunt, aut de animali, aut de plantis, aut de animato inquiritur anima; non de uno illorum, quoniam de altero ſcientia eſſet diminuta: quare de animato, cui primum cõpetere putandum eſt.

1. ð anima. tex. 12. & 14. tex. 64.

2. Phy. cõ. 3.

Opinio improbatur. Cap. 18.

HAEC opinio à recentioribus exploditur, & ab ijs, qui animam ſubiectum eſſe opinantur, nullius roboris rationes, quas attulimus, exiſtimantes. Primam enim ſoluunt, quandoquidem de anima inquiri paßiones, & non de corpore animato

mato dixerunt, nec refert ſi eas corporis & animæ communes Ariſtoteles interdum uocauerit, bifariam enim intelligi queunt, aut ut animæ ſunt perinde ac efficientis, à qua originem trahunt, aut ut ſuppoſiti operantis, primo modo animę, & non alterius dicuntur, quomodo libro de anima tractantur, quamuis quo ad denominationem animato, quod uiuere, ſentire, & intelligere dicitur, aſcribantur, ut de eis in paruorum naturalium libris diſſeritur. nec uerum eſt hic agi de anima ob corpus animatum, ſiquidem dixit Ariſtoteles in opuſculo de ſenſilibus ſe diſputaſſe de ea ſecundum ſeipſam. Soluunt etiam alteram aſſerentes dupliciter ſubiectum partis intelligi poſſe locari ſub ſubiecto totius, aut ut inferius ſub ſuperiori, aut ut ad illud reducitur, uel tanquam paßio, uel tanquam principium, & proinde non eſt neceſſe ſubiectum partis ſpeciem eſſe totius, ſed ſatis erit, ſi paßio, aut principium fuerit, ueluti dici poteſt de primo motore, qui principium eſt corporis naturalis, in octauo tamen phyſicorum eſt ſubiectum. Conſimili ratione dicendum eſt de anima, quòd cùm principium ſit, ſubiecti rationem non ſubterfugit. Quis nõ irrideat tam pueriles, aut aniles ſolutiones? quis, obſecro, in tam magna expoſitorum leuitate non inſaniat? qui dum alios arguunt, crimine non uacant, ſolutiones enim, quas attulerunt, ueræ non ſunt, primùm operationes cum paßionibus, à quibus plurimùm

3. phy. tex. 19. *ſeiunguntur, confundunt, nam ut tertio phyſ. liquet, actio licet re & ſubiecto cum paßione conueniat, inter eas tamen eſt rationis diſcrimen, quatenus enim ab agente proficiſcitur, dicitur actio, ut uerò in ſubiecto recipitur, paßio, perperam igitur eas paßiones corpo*

2. d anima tex. 37. *ris animati dixerunt eſſe animæ, quæ earum potius dicitur efficiens autore Ariſtotele ſecundo de anima Deinde formę eſt agere, mate*

2. de gener & cor. te x. 53. *riæ uerò pati, ut conſtat 2. de gen. & corr. eſt autem anima forma, cuius operationes ſi ad eam ipſam conferantur, non dicuntur paſ-*

1. d anima tex. 12. *ſiones. Deinceps Ariſtoteles primo de Anima ambigit an ſint communes paßiones animę & corporis, non tamen dubitat, an ſint animæ operationes, id enim perſpicuum erat, ſolum enim erit dubitatio cuius eſſent paßiones, & tex. 67. coniuncti, & non ipſius animæ teſtatus eſt. præterea ratio illa de paßionibus, & non de actionibus erat intelligenda, cùm dicebatur, illud eſſe ſubiectum, cuius paßiones inquiruntur, nam Ariſtoteles primo poſt. de ſubiecto eas monſtrari*

ſtrari præcepit. nec ſolutio ſecunda rationis aliquod habet momentum, anima enim propter ſe non poteſt conſiderari, eo enim modo res eſt cognoſcenda, quo eſt, cùm autem anima animati corporis ſit principium, ſic pertractanda eſt. Preterea Ariſtoteles 12. meta. dixit de ſubſtantia fieri ſermonem, quia eius principia queruntur. ſimiliter nos dicimus, diſſeri de corpore animato, quippe anima eius principium indagatur. nec altera ſolutio eſt recta, ſiquidem operæpretium eſt partis ſubiectum ſub uniuerſo contineri, quoniam Ariſtoteles primo poſt. aſſeruit ſcientiam ſubiecti principia, & partes perſcrutari, per partes autem eas intellexit, quæ ſubiectiuæ nuncupantur, & ſpecies ſunt, quę deinde in partibus ſcientiæ ut ſubiecta ponuntur. Additur etiam, quòd idem eſſet ſubiectum, & principium facultasque principijs, quę potiſſima eſt conditio ad ſcientiam requiſita, careret. iſti igitur ſummopere decepti ſunt. uerùm licet contra hos hæc dixerimus, eã tamen opinionem ueram non opinor, quinimo plurimum à ueritate recedere. Alijs eam tollere conabimur, primùm quia paulo ante oſtendimus facultatem hanc partem eſſe ſciẽtiæ de animalibus, tunc igitur ſubiectum ſuperaret ſcientiam, latius enim patet animatum corpus, quàm animal, æqualeq; diſciplinæ non eſſet, imò partis ſubiectum amplioris eſſet ambitus, quam uniuerſum, ſiquidem in tota de animalibus ſcientia eſt animal, hic uerò eſſet corpus animatum. fuiſſet etiam Ariſtoteles diminutus in ſcientia de animalibus, nõ enim de eorum principio formali egiſſet. libro etiam de partibus fatetur ſe tractaturum de anima animalis cauſa, quod animam, aut non ſine anima eſſe aſſeruit. His conſtat falſitas huius opinionis, rationes uerò inferius diluemus.

1. poſt. tex. 179.

Secunda opinio. Cap. 19.

EST ſecunda opinio, quam ferè ſecuti ſunt omnes, nec qui eius auctor fuerit, certo ſciri poteſt, qui materiam huius operis animam eſſe opinantur, quod rationibus & autoritatibus moliuntur. Eſt autem prima ratio, ut id ſit ſubiectum, cuius & quid & qa præcognoſcitur, ut patet primo poſt. de anima utrunq; præcognoſcitur, in Secundo enim libro de anima eius traditur definitio, & quid ipſa ſit, explicatur. Præterea id ſubiectum

1. poſt. tex. 2.

conſueuimus uocare, cuius facultas uenatur partes & paſſiones, ut crebrò diximus, ſunt autem animæ partes uegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, de quarum duabus prioribus ſecundo libro diſputatum eſt, de poſtrema uerò in tertio. nec de paſſionibus tractatio eſt omiſſa, luculenter enim in his tribus libris dictum eſt de uegetare, ſentire, & intelligere, quæ animæ ſunt paſſiones. perſpicuum igitur eſt eam conſtitui ſubiectum. Deinde id, gratia cuius facultas omnia contemplatur, eſt ſubiectum, omnia enim ad ipſum dirigi oportet, tractantur hic omnia animæ cauſa, propter eamq; de cæteris alijs fit diſputatio. Additur etiam, quòd cùm inſcriptio à re, de qua diſ-ſeritur, & ab operis ſcopo ſumatur, anima erit ſubiectum, quippe liber hic de anima inſcribitur. Præterea ſi alterum quid pro ſubiecto ſtatueretur, facultas hæc alijs ſcientiæ naturalis partibus nobilior non eſſet, ut Ariſtoteli placuit, quandoquidem in compluribus alijs libris de ijs agitur, quæ præſtantiora ſunt, ueluti libro de cælo, in quo ſubiectum diximus uniuerſum, cuius cæleſte corpus extat pars. quare ſi diſciplina hæc inter primas locanda eſt, ac compluribus alijs dignitate eam præſtare uolumus, eſt neceſſe animam eſſe ſubiectum. Huic etiam opinioni teſtimonio eſt Ariſtoteles, qui initio libri de anima hanc facultatem uocat hiſtoriam de anima, & paulo poſt intelligens librum hunc de anima loqui ait eius cognitionem eſſe utilem ad omnem ueritatem, & tex. tertio ſic inquit inquirimus autem conſiderare & cognoſcere naturam ipſius & ſubſtantiam, poſtea quæcunq; accidunt circa ipſam. *& in principio libri de ſenſilibus fatetur ſe egiſſe de anima ſecundum ſeipſam. In hanc eandem opinionem iuit Auerrois 2. de anima, ubi ait Ariſtotelem accepiſſe animæ potentias ſola diuiſione, nec aliquam ad id afferre demonſtrationem, quia artifex non poteſt demonſtrare ſubiectum ſuæ artis, neq; ſpecies illius ſubiecti, quare Auerrois animam ſubiectum eſſe concedit, potentias uerò partes ſubiecti. hoc idem græci interpretes Them. Ioan. gram. Simpl. & Alexander ſenſerunt, quos plerique latinorum ſecuti ſunt.*

2. de anim. com. 27.

Opinio

Opinio reiicitur. Cap. 20.

LICET hæc opinio complurĩũ ſit expoſitorum, & eorũ qui dem, qui doctrina & ingenio præſtiterunt, nullo tamen aut ſenatus conſulto aut plebiſcito cogimur, ut cum iſtis ſemper ſentire debeamus, philoſophi enim opinioſiſſimi homines ſunt, ſæpeq; eos diſcrepantes inuenimus, iccirco nemo mihi uitio uertat, ſi aliquando ab eorum opinionibus diſceſſerim, eaq; nonnunquam improbauerim, quæ autoritate quadã potius quam certa ulla ratione tradita ſunt, plus apud me uera ratio, & Ariſtotelis autoritas ualet, quàm omnium interpretum opinio. Dicimus igitur hanc eorum opinionem à ueritate abhorrere, quod ſic primo oſtenditur. id ſubiectum eſſe arbitramur, de quo monſtrantur paſſiones, ueluti Ariſtoteles his uerbis primo poſt. ſignificauit omnis enim demõſtratiua ſcientia circa tria eſt, & quęcunq; eſſe ponuntur, hæc autem ſunt, genus, cuius per ſe paſsionum eſt ſpeculatiua quare ſemper ſcientia de ſubiecto oſtendit paſſiones, at hæ de anima minime monſtrari poſſunt, caret enim paſſionibus, quandoquidem ei tribuendæ ſunt paſſiones, cui accidentia inſunt, ſuut enim paſſiones propria accidentia, anima uerò his non poteſt ſubijci, ſiquidem compoſitæ ſunt ſubſtantiæ, & non ſimplicis, cuiuſmodi eſt anima. Ad hæc recipere proprium eſt materiæ, cuius quoque eſt pati, anima uerò eſt forma, cui magis recipi, & agere competit, quare accidentibus paſſionibusuè ſubijci nequit, deficiunt igitur ſibi ſubiecti conditiones. Nec me ſolutio nonnullorum fugit aſſerentium rem ſimplicem ſubiectum ſtabiliri nihil uetare, licet accidentibus non ſit obnoxia. non enim fieri poteſt ut de eo monſtrentur accidentia, cui non inſunt, re igitur ſubiectum paſſiones habere neceſſe eſt. Præterea Ariſtoteles 2. poſt. ait quòd omnis demonſtratio aliquid de aliquo monſtrat, aut id, quod ineſt, aut quod non ineſt, monſtratur, nõ ſecundũ, tunc euim demonſtratio eſſet falſa, uerè igitur accidentia inhærere ſubiecto oportet. Deinde nec illud uerũ eſt, nempe uegetare, ſentire, & intelligere eſſe animæ paſſiones, quandoquidem eius ſunt operationes, alterius uerò ut puta compoſiti & habentis animam dicuntur paſſiones, & proinde primo de anima Ariſtoteles ſic inquit. Dicere autem iraſci animam ſimile eſt, & ſi aliquis dicat

1. poſt. text. 76.

2. poſt. text. 16.

1. de anim. text. 64.

eam texere, uel edificare, melius eſt enim fortaſsis non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut intelligere, ſed hominem anima. *Deinceps cuiuſque ſcientiæ propria ſunt principia, ut Ariſtoteles 6. meta. teſtatus eſt dum ſic inquit.* Simpliciter omnis intellectualis ſcientia, ſiue aliquo modo intellectu participans circa cauſas, & principia, aut certiora, aut ſimpliciora eſt. *& primo poſt. ſic ait* Difficile autem eſt cognoſcere, ſi ſciuit, aut non, difficile eſt enim cognoſcere, ſi ex uniuſcuiuſq; principiis ſcimus, aut non, quod eſt ſcire. *ſunt autem principia, ex quibus ſcimus, ipſius ſubiecti, nã teſte Ariſtotele primo de anima quod quid eſt ſubiecti eſt principium omnis demonſtrationis, quod de principijs, ex quibus res exiſtit, & non cognitionis tantum intelligendũ eſt, ut uiſus eſt innuere Ariſtoteles 6. meta. quando dixit cuiuſque ſcientiæ eſſe principia, & cauſas. oſtenderetur etiã accidens per alterum accidens, primaq; propoſitio, in qua accidens de altero prædicaretur, non eſſet prima, qualis requiritur ad demonſtrationem, anima aũt quoniam ſubſtãtia eſt ſimplex, caret id genus principijs. ſubiectum igitur eſſe non põt: præterea id ſubiectum dicimus, cuius principia inquiruntur, animæ uero principia indagari nequeunt, ſiquidem illa non habet, ſed magis ipſa dicitur alterius principium, aut animalis, aut corporis animati, hic argumentandi modus eſt Ariſtotelis 6. meta. affirmante de ente fieri ſermonem, quoniam illius inquiruntur principia, & 12. eiuſdem ait haberi doctrinam de ſubſtantia, ſiquidem huius traduntur principia. His itaque conſtat animam ſubiectum non poſſe defendi.*

6. meta. text. 1.

1. poſt. text. 72.

6. meta. text. 1.

Opinio propria. Cap. 21.

TEMPVS modò admonet, ut noſtram recenſeamus opinionem, pro qua nõnulla animaduertere oportet, primũ eſt, q̃ cũ de ſubiecto nos loquimur, illud intelligimus, quod partis uocatur, quandoquidem diximus hanc de anima diſciplinam partem eſſe eius, quæ de animalibus extat, dici tamen poteſt, ut ad uniuerſam huius operis facultatem refertur, ſubiectum totius, cùm totiſ ſcientiæ æquale eſſe oporteat. præterea eſt ſciendum quòd illius duæ ſunt partes inueſtigandæ, res nempe conſiderata, & differendi modus,

modus, ut in alijs præfationibus monuimus. Ex his dicimus quòd ſi in uniuerſa de animalibus ſcientia loquimur, ſubiectum totius animal ſtabiliendum eſt, quod cùm etiam à primo philoſopho pertractetur, adijci oportet tractandi modum, qui proprius ſit philoſophi naturalis, hic autem eſt, ut habet in ſeipſo principium motus & quietis, illius enim ſcientia de animalibus principia, partes, & paſſiones uenatur, quod idem ſubiectum poni operæprecium eſt in qualibet huius facultatis parte diuerſo tractandi genere. fuit autẽ neceſſe de animalibus ſermonem in multos diuidi tractatus, quandoquidem multa de ijs tradenda erant, primum de eis quatuor cognoſci principia oportebat, materiam, formam, finem, & efficiens, nec non & paßiones, quorũ quodlibet multa egebat perſcrutatione, ideo de ſingulis, & ſeparatim tractari oportuit. de materia autẽ dictum eſt libro de partibus, & de inceſſu animal. ubi ea omnia tradita ſunt, quæ ad materię cognitionem ſpectabant. de altero interno principio nempe de forma libro de anima diſputatum eſt, ſiquidem anima eſt animalium forma, uerùm cùm ea ſimul finis ſit, ut patet ſecundo libro, de quo etiam ſe dixiſſe prius Ariſtoteles fatetur 2. de anim. *initio de gener. animal. meritò libro de anima de duabus cauſis fuiſ*text. 37. *ſe diſputatum aſſeuerare poſſumus, de efficiente uerò, & de ea affectione, que dicitur generatio, dictum eſt in opere de generatione animalium. de paßionibus habetur doctrina libris paruorum naturalium, ut de ſomno & uiglia, morte & uita, & de huiuſmodi animaliũ affectionibus. in omnibus igitur his cõmentarijs uniuerſa de animalibus ſcientia comprehenditur. ſed ſe offerunt dubitationes, prima eſt, cur in tot fuit diſtributa partes de animalibus diſciplina, cur illud in hac non inuenitur, quòd in reliquis, ut ſimul et eodem loco de principijs, & paßionibus fieret ſermo? Secundò ambigitur, ſi uniuerſam ſcientiam de partibus tractare oportet, pars, quę de ſpeciebus agit, non habetur in hac doctrina. Prima euertitur; ꝙ id fuit neceſſariũ in ſermone de animalibus, quoniam eorum unumquodque longa egebat oratione, & cuiuſque uoluminis magnitudo iam ſatis creuerat, ideo ſeparatim de illorum quolibet fuit tractatum. ſoluitur ſecunda dubitatio, ita Ariſtoteles de animalibus ſcripſit, ut omnia patefecerit ingenio, atque elaborauerit induſtria, & nihil eſt, quod in eo deſiderari poßit, quod ad eorũ attineat diſciplinam,*

plinā, multaque de poſtremis egit ſpeciebus complura deſerens ex alijs perdiſcēda. ut autem ad rem noſtram redeamus, in omnibus de animalibus libris ſubiectū totius eſt animal uario tamen differendi genere, quandoquidem libro de partibus quod principium materiale, habensq; in ſeipſo principium motus & quietis, hanc ultimam particulam adieci, quoniam etiam animal, ut ex materia gignitur, à primo conſideratur philoſopho, libro uerò de anima cum eadem adiecta dictione quo ad formam & finem eſt ſubiectum, quo uerò ad efficientem cauſam & ut generatione efficitur, libro de gener. animal. quatenus autem ad paßiones attinet, ſubiectum conſtituitur in libris paruorum naturalium, & in ſingulis ut diuerſam reſpicit paßionem. quare licet de animali in uniuerſa ſcientia differatur, ut uerò diuerſo modo conſideratur, in ſingulis libris proprium ſit ſubiectum. ſed quis poſſet ambigere, fruſtra de paßionibus diſputatur in libris paruorum naturalium, cùm de eis tractatum ſit libro de anima, quando ſermo factus eſt de uegetare, ſentire, & intelligere. diluitur, de eis duplici loco diuerſo tractandi modo fuit dictum, libro de anima ut ab anima perinde ac ab efficiente proueniunt, parum ex parte corporis, in paruis uerò naturalibus multa ex parte corporis de eis diſputata ſunt. perſpicuum igitur eſt libro de anima ſubiectum eſſe animal, idq; quo ad principium formale, nō enim cognoſci poterat, niſi perſpecta fuiſſent omnia eius principia, & præcipuè forma, à qua potißimum recipit exiſtentiam, & ideo Ariſtoteles primo de anima adijciens utilitatem, quam ex ſcientia hac ſuſcipimus, ait conferre ad naturalem ſcientiam, quia anima eſt principium animalium, quare propter animal eam conſiderari indicauit. Præterea illud paßim diximus eſſe ſubiectum, cuius facultas principia uenatur, animalis principium nempe anima inquiritur, ergo illud eſt ſubiectum, ſic etiam Ariſtoteles argumentatus eſt 12. meta. dum de ſubſtantia fieri ſermonem oſtenderet. Deinde tractandi modus à definiendi modo capitur, ut patet 6. meta. 6. meta. text. 2. *anima hic definitur, ut principium, ergo ſic conſideratur, quando enim dicitur quòd anima eſt actus, perinde eſt ac ſi dixiſſet, forma, & addidit, cuius, nempe corporis organici, quod animal intelligi oportet, ſiquidem diſciplinam hanc oſtendimus partem eſſe ſcientiæ de animalibus. ſimiliter altera definitio eodem pacto*

eſt

eſt intelligenda, cùm dicitur, quod eſt principium eorum, quæ dicta ſunt uegetandi ſcilicet, ſentiendi, & intelligendi. Præterea quo modo eſt, res eſt cognoſcenda, anima eſt principium, ut unicuique eſt perſpectum, ergo ut ſic de eo habenda eſt doctrina. nec nonnullorum ſolutio aliquod habet momentum, quòd principia interdum ut ſubiectum poßint conſiderari, quando per ſe fuerint tractata, & non ad alterum relata, & id eſſe neceſſarium dicunt, quia unumquodque prius in ſe conſideratur, deinde cum reſpectu. iſti autem maxime decipiuntur, quia res ſi modo abſoluto fuerint conſideratæ, ad primum attinent philoſophum, qui omnia cum ratione entis contemplatur. Deinde Ariſtoteles cum collatione ad alterum hic de anima differit, quandoquidem eam ut principium definiuit. nec uerum eſt principia aliquando in ſe conſiderari, quoniam ſemper aliquorum eſſe dicuntur, & relationem includunt, nec pro ſubiecto, cum eorum alia non ſint principia, conſtitui poſſunt. liquidò itaque conſtat libro de anima ſcopum & materiam eſſe animal, ueluti quidam recentiorum in paruis naturalibus uiſus eſt aperire. Verum una ſupereſt dubitatio, ſi animal quò ad formam eſt ſubiectum, & id quidem uniuerſum, ut ad hanc ſpectat facultatem, quod erit id, quod principale dicitur? Nonnulli, qui etiam de anima cœli hic differi opinantur, dicunt corpus cœleſte, ſiquidem inter animalis ſpecies illud eſt præſtantius & nobilius, ſicuti ad principale ſubiectum requiritur. uerum iſtorum uerſuta & ſpinoſa doctrina nimis ab Ariſtotelis mente diſſentit, quod ita primùm oſtendimus. Ariſtoteles primo de partibus animal. cùm ſubſtantias in eas, quæ ingenitæ ſunt, & in eas, quæ ortui & interitui ſunt obnoxię, ſecaſſet, ait de æternis ſe egiſſe, & de animantibus corruptibilibus pollicetur ſe tractaturum, cuius uerba hæc ſunt. ſed cùm iam ſatis de illis egerimus, noſtramq; explicauerimus ſententiam, reſtat ut de animante natura diſſeramus. *eam intelligit naturam, quam ortus & interitus paulo ante dixit eſſe participem. egit autem de animali æterno libro de cœlo. Præterea de illius animalis forma hic uerba fiunt, de cuius materia tractatum eſt libro de partibus animalium, quoniam in fine de inceſſu ait cum de partibus materialibus dictum eſt, modò de forma & anima eſt agẽdum, at ſolum materia animalis corruptibilis libro de partibus fuit explicata, ut eo libro loco citato dixit Ariſtoteles,*

1. de partibus anima. cap. 5.

ueluti

ueluti etiam id patet ex ijs, quæ in eo tradita ſunt, ſiquidem ijs tantùm conueniunt animalibus, quæ ortui & interitui ſunt ſubiecta, de alio enim ibi non diſputatur, niſi de carne, neruis, oſſibus, & id genus partibus, quæ in cœleſti corpore minimè inueniũtur. deinde Ariſtoteles in fine quarti meteor. cum de ſimilaribus cõmuniter egiſſet partibus, pollicetur ſe de diſſimilaribus & inſtrumentarijs locuturum, quandoquidem ait in his facilius cognoſci rationem ſimilariũ, huiuſmodi uerò partes cœleſti corpori non inſunt, quia uno ore omnium cõceſſum eſt corpus eſſe ſimilare, nec in partes eſſentia diuerſas diſtribui, neq; illa penes denſitatem & raritatem uarietas ſufficiens eſt pro natura animalis organici, tunc enim elementa conſimili ratione dicerentur organica. Ex quo ẽt liquet de anima traditam definitionem minimè cœli aĩę congruere. Ad hæc ueluti cæteri libri de animalibus conſcripti de eo loquuntur animali, quod mortale eſt, ſimiliter de eodem libro de anima tractari & de illius forma ſuſpicãdum eſt, aliter libri facultatum, & rerum diuerſarum confunderentur, ſubiectumq; partis latius eſſet eo, quod eſt totius, hic enim liber inter eos conſtituitur, qui de animali corruptibili agunt, nempe inter libros de partibus, de inceſſu, & paruorum naturalium opuſcula, in quibus aut de materia, aut de paſſionibus animalis interitui ſubiecti diſputatur. Ad hæc Ariſtoteles in calce de long. & breuit. uitæ ait librum de morte & uita finem eſſe de animalibus ſcientiæ; cuius hæc ſunt uerba. Reliquum autem nobis conſiderare, de iuuentute & ſenectute, & uita & morte, his autem determinatis finem utique habebit, quæ de animalibus methodus. *iuuentus & ſenectus, uita & mors ueluti & cætera, quæ in illis libris tractãtur, in animali cęleſti non inſunt. Conſtat itaq; nequaquam hoc libro agi de cœli anima, aut de cęleſti corpore perinde ac de principali ſubiecto. Nos autem aliter ſoluimus propoſitam dubitationem, hominemq; tale ſubiectum uocari aſſerimus; ſiquidem is nobilior eſt inter animalis mortalis ſpecies. Sed adhuc accidit hæſitare, Ariſtoteles enim erit diminutus, quoniam libro de cœlo ſolùm de cœli materia locutus eſt, de anima uerò & forma nullibi locorum inuentus eſt tractaſſe. Ad id reſpondetur, quòd licet hic primaria intentione de cœli anima non egerit, tamen de ea tractatio ſecundaria intentione non excluditur, quandoquidem eius cognitio ex ijs elici poteſt, quæ*

de ani-

de anima mortalis animalis poſita ſunt, ut etiam diximus in prima Præfatione de primis cæli principijs: eſt enim neceſſe ut ſit actus corporis phyſici. Prꝑterea complura eorum, quæ intellectui humano tributa ſunt, cæleſti poſſunt accommodari, ut cum corpore non ſit miſtus, actu intelligens, et in quo idem ſit intellectus, intellectio, & intellectum, corruptionisque expers. & id non eſt præter Ariſtotelis conſuetudinem. ſicuti Auer. in proœmio libri poſt. de definitione teſtatus eſt, cuius cōditiones traditæ erant ſecundo poſt. uerùm quia cum ijs conueniebant, quæ ſunt demonſtrationis, meritò in primo cum de demonſtratione loqueretur, de qua facilior tradi poterat doctrina, ſimul definitionis conditiones largitus eſt. ita hic nos dicimus quòd cùm facilius anima mortalis animalis cognoſceretur, & ex eius oratione accipi poſſent, quæ cœleſti intellectui competunt, iure de noſtra duntaxat anima locutus eſt. hæc eſt Ariſtotelis mens paucis cognita, & è profundiſſimis philoſophiæ literis eruta, ut nos clarius diximus in cōmentarijs, quos hinc ad paucos dies edituri ſumus. Eorum verò opinio anilis eſt, & maximam, dum eam profitentur, oſtendunt leuitatem, ſi iudices quemadmodum in eos, qui aliquod ſcelus, aut improbe factum commiſerunt, graues pœnas excogitauerunt, in minutos philoſophos, ambagibusque doctrinam inuolutam diſſeminantes animaduertiſſent, vnicuique non liceret philoſophari, falſasq; opiniones alijs perdiſcendas tradere. Verùm de re hac ſatis dixiſſe arbitror, vnuſquiſq; autem ſibi caueat ab ineruditis, & falſis philoſophis.

Solutio rationum prioris opinionis. Cap. 22.

MOdò ſoluendæ ſunt rationes earum opinionum, quas nos reiecimus, & illius primùm, quæ corpus animatū ſubiectum eſſe putabat, prima diluitur, quòd licèt hic ea tradantur, quæ etiam corpori animato conueniunt, ſtrictius tamen accipiuntur, vt ſcilicet animalis tantùm naturam declarant, quādoquidem agitur de anima, ut principium eſt animalis, quoniam id erat Ariſtotelis inſtitutum largiri animalis doctrinam, cuius

gratia omnia tractantur. ſimiliter de affectionibus dicendum eſt, de quibus diſputatur, ut animali inſunt, cuius tradebatur diſciplina. Altera ſoluitur ratio, & concedimus partis ſubiectum contineri ſub vniuerſo, & ob id infitias iuimus, animam eſſe ſubiectum, animal verò complectitur ſub corpore naturali. Ad alteram reſpondemus, quod Ariſtoteles non ſemper ab eo, quod eſt communius, exorditur doctrinam, ſed interdum à nobiliori, aut notiori ſpecie, primò poſt. locuturus de demonſtratione non prius vniuersè de ea diſſeruit, ſed ſtatim de demonſtratione ſimpliciter, perinde ac de præſtantiori aggreſſus eſt ſermonem. ſimiliter cùm in eo libro ſit ſubiectum inſtrumentum ſciendi, de quo communiter prius erat neceſſarium agi, deſerens communem tractationem de demonſtratione tanquam de notiori ſpecię cœpit verba facere. Nec ut uulgus philoſophorum, & bacchantium nebulonum turba frequenter aſſeuerat tenendum eſt, ut prius de ſciendi inſtrumento dictum ſit in illa propoſitione, omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua fit ex præcedente cognitione, quia omni competit ſpeciei, & demonſtrationi, & definitioni. ſunt enim complura prędicata, quæ utrique conueniunt, & ea quidem maioris momenti, quę prius communiter non ſunt tradita, ut fuiſſet neceſſe explicari in ſermone uniuerſali, cuiuſmodi ſunt, fieri ex primis, veris, immediatis, prioribus, notioribus, & cauſis quæſiti, ſimiliter ex neceſſarijs, ex ijs, quæ ſunt de omni, per ſe, & ſecundum quod ipſum, quæ in demonſtratione, & definitione inueniuntur, prædicataque generis dici poſſunt, ea tamē pro demonſtratione tantum fuere explicata, quippe tex.8. Ariſtoteles dixerat poſterius, & in ſecundo ſe tractaturum de definitione; adhuc enim non erat perſpectum, an daretur alter ſciendi modus præter demonſtrationem. fuit etiam neceſſarium prius tractari de demonſtratione, quia libris priorum de huius forma diſputatum fuit, aliter à minus communi ad uniuerſalius fuiſſet factus progreſſus, cùm ſciendi inſtrumentum latius pateat. inuenimus igitur nonnunquam Ariſtotelem peruertiſſe ordinem à ſpecie exordium facientem, ſicut alijs in locis idem ſeruaſſe oſtendi poteſt. primo cœli monſtraturus nullum ingenerabile interire, & nullum genitum fieri perpetuum, prius id contra Platonem de Cęlo diſputauit, deinde uniuerſaliter, ut tex.109. his uerbis ſignificauit.

uit. De cęlo ſolum dictum eſt, vniuerſaliter autem de omni ſpeculantibus erit & de hoc manifeſtum. *idem ſeruaſſe conſpicitur 3. phyſicorum, nam à textu 45. uſq; ad 47. in ſingulis quibuſdam corporibus monſtrauit non dari infinitum, deinde illud idē uniuerſaliter oſtendit. quare non eſt prater Ariſt. morē aliquando à minus communi auſpicari doctrinam ob aliquam occaſionem, ueluti in re noſtra dicimus, nam prius de animali diſſeruit, quoniam eſt notius, & nobilius plantis, faciliusque pradicata generis in eo conſpiciuntur, nam ſecundo de anima plantarū partes ex proportione ad partes animalium cognoſcuntur. quare ratio illa nullius eſt roboris. poſtrema diluitur, non eſt diminuta de plantis doctrina, licet in ea de parte ſolum materiali agatur, quoniam qua ad animam ſpectant, accipiuntur ex ijs, qua libro de anima tradita ſunt, & hac cognitio ſufficit pro earum forma cognoſcenda.*

Solutio rationū ſecundæ opinionis. C. 23.

F*Acilè rationes ſecunda opinionis diluuntur, quę animā ſubiectum eſſe dixerat. prima ratio uera prorſus non eſt, nam ſubiectum ſi fuerit perſpectū, deſpicitur, ueluti his uerbis Ariſt. 1. poſt. indicauit loquens de principijs, ſubiecto, & paſſionibus.* nonnullas tamen ſcientias nihil prohibet quædā horum deſpicere, ut genus nō ſupponere eſſe ſi ſit manifeſtū, quod eſt *& ut dicitur de exiſtentia, id eſt de quid eſt intelligi oportet. animal uerò utraq; pracognitione eſt perſpicuum, plerunque etiam multa definiuntur, qua tamen ſubiecti rationē non habēt, cuiuſmodi ſunt principia, & paſſiones, & in hac re Auerr. deceptus eſt 2. phyſi. ſecundā ſoluimus, quod & ſi de anima, & de eius potentijs agitur, tamen uniuerſa hac contemplatio reſpicit animal, cuius gratia reliqua pracipiuntur. nec uerum eſt animam habere paſſiones, ſunt enim operationes, quas opinio uocat paſſiones, ut paulo ſupra diximus. quod fuit allatum ex inſcriptione, ſoluitur, quādoquidem uſus recepit, à multis fieri inſcriptionem, interdum ab accidente, ut liber phyſi. dicitur de motu, & liber de gen. & corr. & qui de generatione animalium inſcribitur, generatio enim eſt accidens. interdum à principijs, ut liber phyſic. uocatur de principijs,* 1. Poſt. tex. 76.

cipijs , nonnunquam ab aliqua ſpecie , ut liber poſt . dicitur de demonſtratione. dicimus igitur librum hunc non accepiſſe nomenclationem à re conſiderata, ſed à principio, ſi quidem anima principium eſt animalis , qua à reliquis de animalibus diſtinguitur , ob quam rationem ei tale fuit tributum nomen . Dicitur nobilis hæc diſciplina etiam ex ſubiecto, quia quodque dicitur tale, qualia fuerint eius principia, a quibus & exiſtentiam , & modum exiſtendi accipit. Ad ea, quæ ex Ariſtotele afferuntur, facilè reſpondetur, nam verum eſt agi de anima non tamen ut ſubiectum, ſed ut principium, & eſt utilis hæc de anima hiſtoria, quia ex ea animalis forma innoteſcit. nec refert ſi dixerit Ariſt. lib. de ſenſ. ſe tractaſſe de anima ſecundum ſeipſam, quia ſi liber hic conferatur cum libro de ſen . & ſenſil . parum , aut nihil dictum eſt de parte corporea, & de inſtrumentis, quibus ſenſus adhærent, plura uerò lib. de ſen. & ſenſil. & ideo dici poteſt ſecundum ſeipſam fuiſſe de anima tractatum. quid uerò ſenſerint interpretes, floccifacio , neque ſunt græcorum ſententiæ Delphici Apollinis oracula, ut eis tanta ſit adhibenda fides. eſt enim pigri ingenij contentum eſſe ijs , quæ ſunt ab alijs inuenta. Et de hac præfatione, cæteriſque ſatis dictũ arbitror Dei auxilio, cuius prouidentia omnia adminiſtrantur.

Aſcanius Comitius philoſophiæ publicus profeſſor hæc porregit anno noſtræ ſalutis. 1569.

INDEX
TOTIVS
OPERIS.

A

ACCIDENS eſt à quo nullam ſumitur definitio. fol. 7.b
*Accidens monſtratur de ſubiecto. fo.*7.b
Accidens ſine ſubiecto an poßit conſiſtere fol. 9.a.b
*Accidentia generationis & corruptionis non poſſunt inquiri. fol.*50.b
*Accidentia ab elementis ſeparari non poſſunt. fol.*61.a
*Actus quando ſit antiquior potentia. fol.*89.b
*Aequiuocum pro ſubiecto accipi non debet. fol.*12.b
*Aeris qualitates dignoſcere medendis morbis præſtat quàm maxime. fol.*65.b
Aeris temperies, & habitatio ſaluberrima ciuitatis Meſſanæ. fol. 65.b
*Aeternum non poteſt fieri quod eſt corruptibile. fol.*8.b
Affectiones & principia cum ſubiecto coincidere non oportet. fol. 5.a
*Agricola pro temporis mutatione uentos, pluuias, & grandines inſpicit. fol.*61.a
*Alberti Magni, & Aegidij opinionum improbatio circa corpus mobile. fol.*7.a.& b
*Alberti Magni opinio circa ſubiectum libr. de cęlo, & eius improbatio. fol.*37.a.b.& ſeq.
*Alberti Magni, de Inſcriptione libri Metereologicorum opiniones damnantur. fol.*63.a
*Alberti Magni opinio de ordine libri de anima. fol.*88.a
*Alexandri opinio libri meteororum refertur. fol.*67.a.b
*Alexandri opinio improbatur. fol.*67.b.& ſeq.
*Alexandri & Ammonij opinio improbatur. fol.*73.a
*Amicitia pro ueri inquiſitione deponenda cenſetur. fol.*18.a

Anima

Anima nobilior eſt omnium rerum, quas nobis natura conciliauit. fol. 77.b
Anima quare prodigio ſimilis. ibid.
Anima ſublata, inter hominem, & lapidem nihil intereſt. ibid.
Anima quotuplex. fol.78.a
Anima quid ſit. fol.83.b
Anima quomodo ſe habeat. fol.84.b
Anima cuius ſit principium. fol.88.b
Anima cognoſcitur ex potentijs. fol.89.a
Anima ex materia innoteſcit. fol.89.a
Anima quid ſit. fol.93.a
Anima quid ſit. fol.96.b
Anima paßionibus caret. fol.98.a
Anima quid ſit. fol.99.a
Anima caret paßionibus. fol.102.a
Anima cuius ſit principium. fol.102.b
Animæ partes quot ſint. fol.27.a
Animæ quot ſint. fol.85.b
Animæ principia indagari nequeunt. fol.98.b
Animæ partes quæ ſint. fol.97.b
Animal mortale abſque elementis uiuere non ualet. fo.42.a
Animal quid ſit, & quando eſſe deſinat. fol.93.b
Animalis æterni materia quæ ſit. fol.41.a
Animatum corpus quid. fol.44.b
Animalium cognitio unde oriatur. fol.90.a
Animalium cognitio multa indiget perſcrutatione. fol.94.a
Antiqui aſſerebant magnitudinem eſſe indiuiſibilem. quod negat Ariſtoteles. fol.17.b
Ariſtoteles rarò aut nunquam in rebus dubijs ſuam profert ſententiam, niſi prius aliorum reiecerit opiniones. fol.3.b
Ariſt. ſæpe nomine partis uniuerſum opus intelligit. fol.18.b
Ariſtoteles nemini ſecundus. fol.66.b
Ariſtotelis laudis eximiæ. fol.66.b
Ars militaris quare ſit neceſſaria. fol.32.b
Ars & ſcientia ſunt affectiones entis. fol.54.a
Aſtrologia eſt ſubiecta geometricę. fol.10.a

Auditus

Auditus ſumi loco ſermonis, non admittitur. fol.24.b
Auerrois lapſus. fol.16.a

C

Calor in uapore exiſtit. fol.60.a
Cauſa generationis quę. fol.53.a
Cœleſte corpus abſque elementis propriam habet exiſtentiam. fol. 42.a
Cœlum non mutatur ſecundum ſubſtantiam. fol.21.a
Cęlum eſt pars uniuerſi. fol.44.a
Cęlum quot modis capiatur ab Ariſt. fol.45.a
Cognitio rei perfecta quid requirat. fol.52.b
Cognitio animalium unde oriatur. fol.90.a
Cognitio animalium multa indiget perſcrutatione. fol.94.a
Cometa quid ſit. fol.59.b
Cometam quid accidat. ibid.
Concoctione procreantur res omnes ſimilare. fol.70.b
Concretio & liquefactio ex quo fiant. fol.70.b
Conſuetudo quantam uim habeat ad comparandas uirtutes. fol. 28.a
Contemplatio reddit homines Deo ſimiles. fol.29.b
Contemplatio quid ſit. fol.29.a & 30.a
Contrarietas ineſt in omni mutatione. fol.21.a
Contrarietas non reperitur in principijs corporis cęleſtis. fol.21.b
Corpus naturale bifariam conſideratur. fol.15.a
Corpus naturale dupliciter conſiderari poteſt. ibid.
Corpus naturale duobus modis conſideratur. fol.20.a
Corpus naturale dependet à materia, & à forma. fol.20.b
Corpus cęleſte abſque elementis eſſe perfectum. fol.42.a
Corpus animatum quid. fol.44.b
Corpus naturale duplex. fol.53.a
Corpus mixtum quod ſit. ibid.
Corpus ſimplex quod ſit. ibidem
Corpus facilius cognoſcitur quàm anima. fol.89.a
Corporis naturalis quatuor eſſe cognoſcenda principia. fol.20.a

Corpora

Corpora ſimplicia quæ ſint. fol.36.b
Corpora quæ latione mouentur, complectuntur ſub corpore mobili ad ubi. fol.37.b
Corpora compoſita & terminata non fiunt abſque concretione fol. 70.b
Corpora ex quibus conſtent. fol.71.a
Corpora partium ſimilarium quomodo abinuicem differant. f.71.a
Corpora partium ſimilarium ex quo conſtent. fol.71.a
Corporum ſimplicium definitio. fol.39.b
Corruptibile non poteſt fieri æternum. fol.8.b

D

Definitio motus non ſolum motui competit, qui eſt accidens, ſed etiam generationi ſubſtantię. fol.6.a
Definitio corporis naturalis. fol.16.a
Definitio materię. fol.20.b
Definitio fęlicitatis. fol.26.a.b
Demonſtratio non fit ex ijs, quæ pluribus ſunt communia. fol.9.b
Demonſtratiua ſcientia circa quid uerſatur. fol.98.a
Denominatio operis accipitur a multis rebus. fol.50.b
Deo quis dicatur cariſſimus. fol.30.a
Differentiæ ordinis quæ ſint. fol.55.a
Diſputatio extraria quæ uocatur. fol.25.a
Diuiſio ſcientię naturalis. fol.16.a
Diuiſio poteſt ſumi ex affectionibus. fol.17.a
Diuiſio libri de cęlo examinatur. fol.45.b
Diuiſio libr. de gener. & corr. fol.55.b
Diuiſio libri meteorologicorum. fol.63.b
Doctrina perfecta ſubiecti non habetur, niſi fuerint cognita quæ contingunt. fol.18.a
Doctrina quantum ualeat ad uirtutes comparandas. fol.28.a
Doctrina perfecta de mixtis haberi non poteſt, niſi elementa cognoſcantur. fol.53.b

E

Eclypſis quomodo fiat. fol.30.a
Efficiens producit formam ex materia. fol.19.a
Efficiens, finis, & forma à materia coniunguntur. fol.23.b
Elementa quot & qualia ſint. fol.49.a
Elementa an ſint ſempiterna. ibid.
Elementa oriuntur, & intereunt. fol.50.a
Elementa duobus modis conſiderari poſſunt. fol.50.a
Elementa duobus modis conſiderantur. fol.52.a
Elementa an ſint finita. fol.53.b
Elementa vtrum mutari poßint. fol.59.a
Elementa tranſmutari non poſſunt, niſi eorum tranſmutetur ſubſtantia. fol.59.a
Elementa, & qualitates propter mixta principaliter conſiderantur. fol.68.a
Ens & corpus riſibile ſunt hominis accidentia. fol.13.a
Exercitia mercenaria & ſordida nuncupantur, quæ mentem occupatam & uilem reddunt. fol.33.a
Exhalatio ignis naturam refert. fol.60.a
Exhalatio in ignem mutatur. ibid.
Exhalationis ſpecies. fol.60.a
Extraria diſputatio, quæ uocetur. fo.25.a
Extrema, & media ex Ariſt. ſententia ex eodem accipiuntur genere. fol.8.b.

F

Facultatum nobilitas unde ſit ſumenda. fol.32.b
Felix non eſt uocandus, qui uirtutibus moralibus caret. fol. 30.b
Felicem quis dici non poßit. fol.29.b.
Felices propter quid homines dicantur. fol.31.b.
Felicitas quotuplex ſit. fol.26.b.
Felicitas in quo conſiſtat. fol.29.a
Felicitas quantum extendatur. fol.29.b
Felicitas quid ſit. fol.30.a

Felicitas contemplatiua ex artibus ſpeculatiuis cõparatur. f.77.a
Felicitatis definitio. fol.26.a.b
Finis optimus qui dicatur. fol.26.a
Finis ſcientiæ quid ſit. fol.32.a
Finis primarius in rebus meteorologicis qui ſit. fol.62.a
Forma facit mutationem abſentia, & præſentia. fol.20.b
Forma prima, ultimus finis, et primum efficiens rerum naturalium omnium ſunt cauſæ. fol.23.b
Forma, finis, & efficiens coniunguntur à materia. fol.23.b
Frigiditas in aqua non eſt ſumma, ſed remiſſa. fol.61.a

G

Generatio mixti tradi non poteſt, niſi elementorum mutua generatio cognoſcatur. fol.54.a
Generatio omnium rerum eſt aut ſimplex, aut compoſita. fol.21.a
Generatio quid ſit. fol.48.b
Generatio ſi eſt, in quo eſſe debeat. fol.49.a
Generatio propter quid ſit. ibidem
Generatio & corruptio ſine elementis eſſe non poteſt. fo.50.b
Generatio fit ex contrarijs. fol.61.a
Generatio quibus qualitatibus fiat. fol.70.b
Generatio quid ſit. fol.102.a
Generationis & corruptionis accidentia inquiri non poſſunt. fol.50.b
Generationis cauſa quæ. fol.53.a
Grammatica quare fuerit inuenta. fol.33.a

H

Halitum eſt ſimplex. fol.59.b
Hiſtoriæ de anima vtilitas. fol.102.b
Homo inter animalis mortalis ſpecies eſt nobilior. fol.100.b
Homines contemplatione Deo ſimiles efficiuntur. fol.29.b
Homines propter quid dicantur felices. fol.31.b
Humiditas in aqua non eſt ſumma, ſed remiſſa. fol.61.a

I

Iamblici, & Magni Syriani opiniones circa ſubiectum libri de cœlo. fol.34.a.b

Iamblici,

Iamblici, & Magni Syriani opiniones improbantur. fol. 34.b. & ſequen.
Iamblici & Syriani opinio inſcriptionis libri de cęlo reijcitur. fol. 45.a
Infinitum pertranſire in tempore finito impoßibile eſſe. fo.18.a
Ingenium hominis quale ſit. fo.31.b
Inſcriptio libri non parum confert ad explicandam autoris intentionem. fo.3.a
Inſcriptio libri de phyſico auditu examinatur. fol.24.b. & ſeq.
Inſcriptio librorum non ſemper fit à re de qua pertractatur. f.35.b
Inſcriptio libri de cœlo examinatur. fol.45.a
Inſcriptio libri de gener.& corr. examinatur. fo.54.b
Inſcriptio libri meteorologicorum examinatur. fol.63.a
Inſcriptio libri meteororum quid indicet. fol.72.b
Intellectiua uirtus quomodo acquiratur. fol.28.a
Intellectus ſine phantaſia nihil intelligit. fol.29.a
Intellectus dum operatur non inſpicit finem. fol.80.b
Intellectus ſubſtantia non dependet à corpore. fol.86.a
Intellectus à quibuſdam bifariam accipitur. fol.86.a
Intellectus eſt principium entis. ibid.
Intellectus eſt hominis principium. ibid.b
Intellectus quid ſit. fol.81.a
Intentio naturalis uerſatur circa ea, quæ habent in ſe principium motus & quietis. fol.12.b
Ioan. Grammaticus quomodo decipiatur in ſua opinione de anima. fol.79.b
Io.Grammatici lapſus inſignis. fol.19.a
Ioannis Grammatici, & Simplicij opinio circa librum meteororum, & eius improbatio. fo.69.a.b
Io.Grammatici, & Olympiodori opiniones de quarto libro meteororum recitantur & improbantur. fol.75.a
Ioannis Grammatici opinio de anima uentilatur. fol.78.a
Iuriſperitia quare ab hominibus cæteris uirtutibus anteponatur. fol. 32.b

L

Lex quid operetur. fol.31.b
Lex, quæ obſeruari debet in educatione filiorum. fol.33.a
Leges quare excogitatæ. fol.31.b
Leges quid operentur. fol.31.b
Liber de phyſico auditu in quot partes diuidatur. fol.17.a
Liber phyſicorum quare dicatur auſcultatorius. fol.15.a
Liber phyſicorum quare dicatur de auditu. ibid.
Liber de anima cuius facultatis pars ſit. fol. 93.b
Libri cuiuſque inſcriptio non parum confert ad explicandam autoris intentionem. fol.3.a
Libri de phyſico auditu utilitas quanta ſit, uentilatur. fo.26.a
Libri inſcriptio non ſemper fit à re, de qua pertractatur. fo.35.b
Libri gener.& corr.inſcriptio examinatur. fol.54.b
Libri de gener.& corr.diuiſio quæ. fol.55.b
Libri meteorologicorum inſcriptio examinatur. fol. 63.a
Libri metereologicorum utrum Ariſtoteli aſcribi debeat.f.64.a.b
Libri de anima ordo qualis. fo.86.b
Librorum Ariſtotelis ordo qui. fol.55.a
Libros, quos vulgares nominat Ariſtoteles, qui ſint. fo.25.a
Liquefactio & concretio ex quo fiant. fol.70.b
Locus apud nonnullos eſt ſpatium uacuum, fol.17.a
Logica quid doceat, fol.33.a
Lucillus Philaltheus redarguitur. fol.11.a.b
Lumen quid ſit. fol.64.b
Lumen corporis expers, ibid.

M

Materia & forma ſunt principia motus & quietis. fol.16.a
Materia æterni animalis quæ ſit. fol.41.a
Materiæ definitio. fol.20.b.
Mathematicæ ſcientia quid contempletur. fol.84.b
Media & extrema ex Ariſtotelis ſententia ex eodem accipiuntur genere. fol.8.b
Medicina propter neceſſitatem data eſt generi humano. fol.33.a

Medici quam ob rem oſtiatim ægritudines hominum quærãt. f.33.b
Meliſſus & Parmenides motum, & entium multitudinem auferunt. fol.9.a
Mercenaria & ſordida exercitia nuncupantur. quæ mentem occupat am; & uilem reddunt. fol.33.a
Meſſanæ ciuitatis ſitus. fol.65.b
Meſſanæ ciuitatis dotes. ibid.
Metalla ex duplici exhalatione producuntur. fol.68.b
Metalla quomodo generentur. fol.70.a
Metaphyſica ſubalternat ſibi particulares ſcientias. fol.10.b
Metaphyſicę operatio quare nobiliſsima. fol.31.a
Metaphyſicus quomodo res conſideret. fol.78.b
Minerua quare abiecerit tibias. fol.33.a
Mixtum quid ſit. fol.54.b
Mixtum quomodo ſit ſubiectum. ibid.
Mixtum imperfectum ſumitur pro re conſiderata. fol.61.b
Mixti generatio tradi non poteſt, niſi elementorum mutua generatio cognoſcatur. fol.54.a
Mixta perfecta et imperfecta ſic ſe habent ut eorum diuerſa ſit ſubſtantia. fol.75.b
Mobile quid uocetur. fol.47.a.& 48.a
Modus conſiderandi modo diffiniendi eſt ſimilis. fol.5.b.& 7.b
Modus conſiderandi magis prioris quàm poſterioris habet rationem. fol.12.a
Morales uirtutes quę ſint. fol.27.a
Motus ſecundum Auer. non differt à perfectione, ad quam uadit ſecundum magis & minus. fol.6.a
Motus definitio non ſolum motui competit, qui eſt accidens, ſed etiam generationi ſubſtantię. fol.6.a
Motus ſecundum Ariſt. eſt accidens, rerum naturalium. fol.6.b
Motus continuus & diuiſibilis in infinitum eſt. fol.17.a
Motus dicitur eſſe principium eius in quo eſt. fol.23.b
Mundus ex quo conſtet. fol.40.b
Mundus quomodo moderetur, tueatur, & ornetur à Deo. fol.62.a
Mundum eſſe finitum oſtenditur. fol.39.a
Muſica ſubijcitur Arithmeticæ. fol.10.a

N

NAtura operatur propter finem. fol.19.a.& 80.b
Natura ſubiecti quę requirat. fol.48.a
Natura progreditur ab imperfecto ad perfectum. fol.62 b
Nauta pro temporis mutatione uentos, pluuias, & grandinem inſpicit. fol.61.a
Nobilitas facultatum unde ſit ſumenda. fol.32.b
Nobilitas ſcientiæ diuinæ vnde dependeat. fol.79.b
Nobilitatis ordo in quo contempletur. fol.31.a
Nomenclatio a quo fiat. fol.51.a

O

OLympiodori & aliorum opinio in libr.metereolog. recenſetur. f.57.b.& ſeq.improbatur. fol.58.b
Olympiodori opinio de quarto libro meteororum. fol.74.a
Operatio metaphyſicæ quare nobiliſſima. fol.31.a
Operationes haud ſecus ſe habent quàm ſubſtantia. fol.29.a
Opinio Simplicij, quam protulit in libr.dę cælo, improbatur. fol.36.b
Opinio alberti Magni circa ſubiectum libri de cælo improbatur. fol. 37.a.b.& ſeq.
Opinio Alberti Magni, & diui Thomæ de intentione libri de gener. & corr. fol.47.a
Opinio Io.Grammatici, & Olympiodori de intentione libri de cęlo refellitur, & rationes diluuntur. fol.52.a
Opinio Latinorum circa librum meteorornm & eius reprobatio. fol. 68.b & ſeq.
Opinio Io.Grammatici, & Simplicij circa librum meteororum, & eius improbatio. fol.69.a
Opinio Alexandri & Ammonij improbatur. fol.73.a
Opinio Io.Grammatici de anima improbatur. fol.78.b
Opinio Simplicij de anima refertur, & improbatur. f.80.a.b.& ſeq.
Opinio Alberti Magni de ordine libri de anima improbatur, & eius rationes diluuntur. fol.88.b
Opinionis Diui Thomæ improbatio. fol.19.b
Opiniones Græcorum autorum de ſubiecto libri phyſicorum reſol uuntur. fol.15.b
Opiniones nonnullorum, qui de intentione libri de cælo differerunt,

runt, refelluntur. fol.49.a. diſſoluuntur. fol.50.a. improbantur. fol. 50.b
Opiniones Alexandri, Ammonij, & Olympiodori de quarto libro meteororum improbantur. fol.74.b
Opiniones multorum de animæ ſubiecto reijciuntur. fol.98.a
Opiniones eorum improbantur, qui ſubiectum libri de phyſico auditu exponunt. fol. 14.a
Oratio non fit ſemper prius de genere. fol.72.a
Orbis totus quid ſit. fol.40.b
Ordo præfationum, & quæ toto hoc opere differantur. fol.3.a
Ordo nobilitatis in quo contempletur. fol.31.a
Ordo libr. de cęlo qui ſit. fol.41.a
Ordo librorum Ariſto. qui. fol.55.a
Ordo libr. Meteororum examinatur. fol.72.a
Ordo librorum meteororum qualis. fol.73.a.b
Ordo libri de anima qualis. fol.86.b
Ordo librorum Ariſtotelis, qualis eſſe debet. fol.91.b.& ſeq.
Ordo librorum de animalibus qui. fol.93.b
Ordinis differentiæ quæ ſint. fol.55.a

P

Parmenides & Meliſſus motus & entium multitudinem auferunt. fol.9.a
Partes animę quot ſint. fol.27.a
Partes ſimilares elementis conſtant. fol.70.a
Partes ſimilares quæ dicantur. fol.70.a
Paſsiones non niſi de primo ſubiecto monſtrantur. fol.5.a.
Paſsiones mixti, perfecti, & imperfecti uario modo producuntur. fol. 75.b
Perſpectiua eſt ſubiecta Geometriæ fol.10.a
Phantaſia interitui obnoxia. fol.29.a
Philoſophia naturalis cur ſecernitur à cæteris facultatibus. f.12.b
Philoſophus naturalis circa quæ verſatur. fol.4.b
Philoſophus definitione accidentis monſtrat plura eſſe entia. f.9.b
Philoſophus naturalis ea contemplatur, quæ ſunt in materia ſenſibili. fol.13.a
Philoſophus uti non debet ſermonibus tranſlatitijs. fol.24.b

Philoſo-

Philoſophum non decet occultare ueritatem. fol.25.a
Philoſophi omnes confeſſi ſunt dari unam primam materiam, tam etſi nonnulli eorum finem, & efficientem auferunt. fol.24.a
Phyſiognomica diſciplina quare neceſſaria ſit in ciuitate. fol.32.b
Platonis ſententia, qua oſtenditur Remp. medicis & iudicibus non indigere. fol.33.b
Politica quid ſit. fol.31.b
Porphyrij & Io. Grammatici opiniones improbantur. fol.19.a
Poßibilia quæ ſunt, eſſe determinata. fol.40.a
Potentia quando ſit antiquior actu. fol.89.b
Præceptores ineruditos fugiendos eſſe, & ab eorum conſuetudine recedendum. fol.57.a
Præfationes ſex, in quibus hoc opus diuiditur. fol.3.a
Præfatio prima in librum de phyſico auditu. fol.3.a
Præfatio in librum de cœlo. fo.34.a
Præfatio in librum de gener. & corr. fol.46.b
Præfatio in librum Meteorologicorum. fol.56.b
Præfatio in librum meteororum. fol.66.b
Præfatio ſexta in lib. de anima. fol.77.b
Prima philoſophia ſubalternat ſibi reliquas ſcientias. fol.9.b
Primus philoſophus omnia cum ratione contemplatur. fol.100.a
Principia & affectiones cum ſubiecto coincidere non oportet. f.5.a
Principia non ſunt infinita. fo.22.a
Principia an ſint comprehendenda ſub nomine ſubiecti. fo.52.a
Principia animæ indagari nequeunt. fol.98.b
Putrefactio quibus competat partibus. fol.70.b
Pythagoreorum ſententia, qui in affirmando aiunt, ipſe dixit, non admittitur. fol.14.a

Q

QValitates primæ elementorum quæ. fol.59.a
Qualitates elementorum ſunt paßiones. fo.61.a
Qualitates aeris dignoſcere plurimũ rei medicæ conducit. fo.65.b
Qualitates & elementa propter mixta principaliter conſiderantur. fol.68.a

Quatuor

Quatuor elementa in omni mixto inueniuntur. fol.61.a
Quatuor qualitates ad generationem ſunt neceſſariæ. fol.70.b
Quid contineatur in ſex Præfationibus huiuſce operis. fol.3.a
Quis Deo cariſſimus dicatur. fol.30.a

R

Rationes nonnullorum, quæ adductæ fuerunt de lib. meteororum, diluuntur. fol.72.a
Res naturalis quid ſit. fol.13.a
Res in aere productæ aeris paſſiones uocantur. fol.49.b
Rhetorica quid ſit. fol.32.a

S

Sanitas quomodo comparetur. fol.95.b
Sapientia quid ſit. fol.29.a
Sapientia in animo deprauato conſiſtere non poteſt. fol.30.b
Scientia naturalis vt plurimum uerſatur circa corpora. fol.12.b
Scientia ex quo gignatur. fol.32.a
Scientia demonſtratiua uerſatur circa tria. fol. 50.b
Scientia, & ars ſunt affectiones entis. fol.54.a
Scientia de natura in duas partes diuiditur ſecundum aliquos, ſed male. fol.77.a
Scientia mathematica quid contempletur. fol.84.b
Scientia demonſtratiua circa quid uerſetur. fol.98.a
Scientiæ naturalis diuiſio. fo.16.a
Scientiæ finis quid ſit. fol.32.a
Scientiæ diuinæ nobilitas unde dependeat. fol.79.b
Scopus & materia in omni ſcientia naturali eſt corpus naturale. fol. 12.a
Sententia Platonis, qua oſtenditur Remp. medicis & iudicibus non indigere. fol.33.b
Siciliæ fertilitas maxima. fol.65.b
ſimilares partes quæ dicantur. fol.70.a
ſimilares partes elementis conſtant. fol.70.a

ſimilarium partium corpora quomodo abinuicem differant. fo.71.
ſimplicia compoſitis præferuntur. fol.43.
ſimplicium corporum defini tio. fol.39.
ſimplicitas quid ſit. fol.36.
ſimplicius negat dari corpus infinitum. 17.
ſimplicius mentem Ariſtotelis non attigit in tractatione de anima. fol. 81.
ſimplicij opinio de diuiſione libri de phyſico auditu. fol.17.
ſimplicij opinio, quam protulit in lib. de cęlo, improbatur. fol.36.
ſimplicij opinio in tractatione de anima funditus tollitur. fol.82.
ſimplicium ſibi ipſi non conſtare oſtenditur. fol.18.
ſitus locorum quantum ſanitati conferat. fol.65.
ſomnus quid ſit. fol.95.
ſordida & mercenaria exercitia nuncupantur, quæ mentem occupatam, & uilem reddunt.
ſubiectum quotuplex ſit. fol.3.
ſubiectum quid ſit, ſecundum opinionem Diui Thomæ. fol.3.
ſubiectum eſſe corpus mobile negauit Diuus Thomas. fol.4.
ſubiectum in ſcientia debet eſſe notiſſimum. fol.4.
ſubiectum ſcientiæ & affectionis idem eſt. fol.5.
ſubiectum eſt primaria res, quæ in ſcientia conſideratur. fo.11.
ſubiectum philoſophiæ naturali eſt res ſenſibilis. fol.12.
ſubiectum philoſophiæ naturalis deſcribitur. fol.13.
ſubiectum libri de phyſico auditu ex opinione multorum exponitur. fol.13.
ſubiectum eſt, cuius gratia omnia tractantur. fol.14.
ſubiectum in unaquaque facultate ineſſe neceſſe eſt. fo.87.
ſubiectum quid ſit. fol.96.
ſubiectum de anima dupliciter intelligi poteſt. fo.96.
ſubiectum omnium librorum de animalibus quod ſit. fol.99.
ſubiecti explicatio. fol.3.
ſubiecti perfecta doctrina non habetur, niſi fuerint cognita quæ e contingunt. fol.18.
ſubiecti partes quæ dicantur. fol.40.
ſubiecti natura quæ requirat. fol.48.
ſubiecti partes. fo.53.

ſubſtan-